



Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Pars Septima De Sacramento Matrimonii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Tomus Posterior

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat

DE SACRAMENTIS, & CENSURIS.

Ad usum Tyronum elucubratus,

Et in Quotidianis Praelectionibus

A P. DOMINICO VIVA

SOCIETATIS JESU

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE

Suis Auditoribus Traditus

In Palestra Collegii Neapolitani ejusdem Societatis,

Cupientibus, atque instantibus Theologiæ Moraliæ Candidatis,

IN LUCEM PUBLICAM EDITUS,

AC DICATUS

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

D. MARCO ANTONIO

BORGHESIO

SULMONÆ PRINCIPI, ac ROSSANI,

PROREGI JAM NEAPOLITANO, &c.

P A R S S E P T I M A

DE SACRAMENTO MATRIMONII.



PATAVII, Ex Typographia Seminarii, MDCCXXIII.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

INDEX

QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,

Qui in hoc Theologico-Morali Opusculo

De MATRIMONII SACRAMENTO

Continentur.

QUÆSTIO PRIMA.

De Sponsalibus universim.	3
Art. I. De Promissione constitutiva Sponsalium.	<i>ibid.</i>
Art. II. De Promissione facta Sponsorum.	8
Art. III. De Promissione mere interna nubendi facta, sive homini, sive Deo per votum.	12
Art. IV. De Verbis, & aliis signis, & modis, quibus Sponsalia contrahuntur.	15
Art. V. Quinam possint Sponsalia contrahere?	18
Art. VI. De Obligatione, qua consurgit ex Sponsalibus.	22
Art. VII. De Sponsalium Effectibus.	29

QUÆSTIO II.

De Causis dissolventibus Sponsalia.	33
Art. I. De mutuo consensu, & de Reclamacione dissolventibus Sponsalia.	34
Art. II. De Crimine dissolvente Sponsalia.	36
Art. III. De Fuga, seu longa absencia Sponsorum, ac de Tempore Matrimonii elapsō.	38
Art. IV. De Susceptione Ordinis Sacri, ac de Voto castitatis, aut Religionis.	39
Art. V. Quomodo matrimonium, vel Sponsalia subsequentia dirimant priora?	42
Art. VI. De Morbo, aut simili vitio dissolvente Sponsalia.	44
Art. VII. De Affinitate, seu impedimento juris superveniente; Ac de Voce publica, seu fama de impedimento.	45
Art. VIII. Quanam ignorantia, & dolus dissolvent Sponsalia; Et quinam metus?	47
Art. IX. Quanam probatio, & Judicis auctoritas requiratur ad dissolvenda Sponsalia?	51

QUÆSTIO III.

De Matrimonio secundum se, ejusque institutione, & indissolubilitate.	53
Art. I. Quid sit matrimonium, inquantum contractus, & inquantum est Sacramentum?	<i>ibid.</i>
Art. II. De Institutione Matrimonii.	62
Art. III. De Unitate, & Indissolubilitate Matrimonii.	67

QUÆSTIO IV.

De Consensu, qui est causa efficiens vinculi matrimonialis.	76
Art. I. De Consensu-matrimoniali simulato.	<i>ibid.</i>
	Art.

Art. II. De Signis externe expressis consensu matrimonialis.	73
Art. III. De Consensu coacto.	73
Art. IV. De Consensu simpliciter clandestino.	79
Art. V. De Consensu clandestino secundum quid.	79
Art. VI. De Consensu conditionato.	103

Q U È S T I O V.

De Impedimentis Matrimonii.

Art. I. De Matrimonii Impedimentis in genere. Quinam possit ea statuere?	III
Art. II. De Impedimentis dirimentibus in specie; ac Primo de Errore.	116
Art. III. De Impedimento conditionis servilis.	121
Art. IV. De Impedimento Voti.	124
Art. V. De Impedimento Ordinis.	125
Art. VI. De Impedimento Cognitionis.	128
Art. VII. De Impedimento Affinitatis.	134
Art. VIII. De Impedimento Criminis, & Rapii.	134
Art. IX. De Impedimento disparitatis Cultus.	137
Art. X. De reliquis Impedimentis dirimentibus, praesertim Publicæ Honestatis, & Impotencie.	139
Art. XI. De Impedimentis impedientibus.	143

Q U È S T I O VI.

De Dispensatione in Impedimentis matrimonii dirimentibus.

Art. I. Quinam possit in matrimonii impedimentis dispensare?	145
Art. II. De Causis ad dispensationem requisitis.	152
Art. III. De Dispensatione surreptitia, & nulla.	155

Q U È S T I O VII.

De Usu, ac Debito conjugali.

Art. I. Qua ratione actus conjugalis sit licitus?	161
Art. II. De Obligatione actus conjugalis.	169
Art. III. De Iis, que impediunt usum matrimonii.	173
Art. IV. Virum delectationes morose, talium turpes, & alia hujusmodi licetani Conjugibus?	173

Q U È S T I O VIII.

De Divortio.

Art. I. De Divortio ex mutuo consensu.	173
Art. II. De Divortio ob causam adulterii.	174
Art. III. De aliis Causis faciendi divortium ad tempus.	178

VI Q U È S T I O N E

CUR.

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad usum Tyronum elucubratus.

D E

MATRIMONII SACRAMENTO.

P A R S T E R T I A.

Procœmum.

Ostremum inter Sacraenta locum obtinet Matrimonium, non quod efficacitate, aut dignitate sit aliis inferius, cum uberem in conjuges gratiam derivet; sed forte quia reliqua ad solam animorum consecrationem instituta sunt, hoc vero ad ipsam hominum propagationem, & ad sanctificationem animorum simul, & corporum. Est tamen præcipuum Christianæ fidei Mysteriorum symbolum, ac repræsentatio; ut propterea ab Apostolo ad Ephes. 5. dicatur: *Sacramentum hoc magnum est in Christo, & Ecclesia:* In primis enim signum est castissimi fœderis, & unionis Dei cum anima, quam sibi per fidem despousare Oseas Propheta dixit; eique veluti dotis nomine Cœlestia Charisimata, atque ipsum donorum, ac bonorum omnium Auctorem Spiritum Sanctum largitur: Est etiam symbolum mystici illius Conjugii, quo Christus Dominus Ecclesiam sanguine suo mundatam, ac divinis dotibus gloriosam sibi sponsam conjunxit: Significat insuper unionem, qua Verbum naturam humanaam indisolubili vinculo sibi copulavit: Ac demum Tertull. lib. 1. de Monogam. cap. 1. dixit, Matrimonium Divinae Trinitatis, & Unitatis adumbrationem esse: Sicut enim in Deo Unitas est in multiplicitate Personarum; sic quodammodo in Matrimoniis.



A mo-

monio sua unitas, & multiplicitas habetur. Genes. enim 2. dicitur:
Erunt duo in carne una.

Annus integer Tractatui de Matrimonio in nostris Scholis ad-
 dicitur, quippe quod in usu fidelium frequentissimum, & uberri-
 mis scatet doctrinis, quæ facem præferunt animo per aspera, &
 lubrica ambulanti, ne turpissime labatur.

Nos octo quæstionibus materiam universam complectemur, a
 gentes in prima de Sponsalibus universim, quippe quæ viam ster-
 nunt ad Matrimonium. In secunda seorsim discutiemus causas, ob
 quas possint Sponsalia dissolvi. In tertia agemus de Matrimonio
 secundum se, ejusque Institutione, Unitate, & Indissolubilitate.
 In quarta de causa efficiente Matrimonii, videlicet de consensu,
 præfertim ficto, coacto, clandestino, & conditionato. In quinta
 de Impedimentis Matrimonii. In sexta de Dispensationibus. In se-
 ptima de Usu, & debito conjugali; ubi plurima ad sextum præ-
 ceptum spectantia enodabimus. In ultima demum de Divortio.

QUÆSTIO PRIMA.

De Sponsalibus universim .

Expliqabimus primo , Quomodo Sponsalia constituantur ? Secundo , ad quid obliget facta Sponsorum promissio ? Tertio , Ad quid obliget promissio solum interna , ac votum nubendi . Quarto , de Verbis , ac aliis signis , quibus Sponsalia contrahuntur . Quinto , Quanam possint illa contrahere ? Sexto , Quænam ex iis obligatio consurgat ? Denique discutiemus de eorum effectibus : In sequenti autem quæstione agemus seorsim de causis , ob quas possunt sponsalia dissolvi : De Sponsalibus vero conditionatis dicemus quæstione quarta agentes de Matrimonio celebrato cum consensu conditionato .

ARTICULUS I.

De Promissione Constitutiva Sponsalium .

- I. *Quid sunt Sponsalia?*
- II. *Quanam promissione constituantur?*
- III. *Si promissio sit indeliberata , non obligat ; sicut nec votum ; Nec potest obligare sub levi promissio Sponsalium .*
- IV. *Nec obligat promissio isthac non acceptata .*
- V. *Debet pariter signo sensibili manifestari . Sed quando taciturnitas sufficit in re promittente?*
- VI. *Sponsalia neque sunt Sacramentum , neque Sacramentale .*
- VII. *Ad valorem Sponsalium satis est intentio deliberata virtualis , non vero habitualis .*
- VIII. *Requiritur ad eorundem valorem voluntas se obligandi ex iustitia ad Matrimonium ineundum , sed non voluntas illud exequendi .*

I. **S**ponsalia dictuntur ex Ulpiano a spondendo ; significant enim stricte sumpta mutuam sponzionem , seu promissionem futuri Matrimonii : Significant etiam munera , quæ sibi mutuo sponsi tradunt ; in quo sensu servi Saulis dixerunt Davidi 1. Re-

gum 18. *Non habet Rex Sponsalia necesse ; hoc est non indiget muneribus , quæ dentur filiæ sive a Genero ; Ac demum significant ipsum Matrimonium ratum , non consummatum ; in quo sensu Beatissima Virgo dicitur Sponsa Joseph ; Matth. enim 1. habetur : Cum esset desparsata Maria Joseph ; Universim tamen qui Matrimonium ratum contraxerunt , communiter dici solent Sponsi de praesenti , cum solum spondeant usum Matrimonii ; qui vero matrimoniū nondum contraxerunt , sed solum promiserunt , dicuntur Sponsi de futuro , & absolute sponsi ; spondent enim ipsum matrimonium ; seu potius dicuntur ipsi promissi relate ad matrimonium ; illi vero dicuntur promissi relate ad usum , seu ad effectum matrimonii .*

II. *Quæritur nunc primo ; Quanam sit definitio propria sponsalium ? Et quanam promissione constituantur ?*

Respondeo , optime definiri , quod sint , *mutua promissio futuri Matrimonii* . Dicitur , *Promissio* , cum non sufficient mera voluntas , & propositum nubendi , nisi accedat promissio , quæ inducat obligationem de iustitia ad contrahendum . Dicitur , *Mutua* , quia sponsalia habent vim contractus onerosi , qui parem utrinque obliga-

A 2 rno-

tionem inducat: Quare sicuti non consistit matrimonium sine mutua, seu reciproca traditione dominii in corpora; ita nec consistunt sponsalia sine mutua promissione matrimonii. Dicitur demum, *Futuri matrimonii*; Sicut enim per hoc quod sponsalia sint mutua Promissio, convenient cum reliquis contractibus, ita per hoc quod habeant pro objecto immediato promissionis futurum matrimonium, a reliquis contractibus differunt; & sic in definitione habetur verum genus, & differentia. Quod si Titius, & Berta sibi invicem sponsalia promitterent, efficerent quidem contractum obligatorium, non tamen sponsalia; quia matrimonium non est objectum immediatum talis promissionis, sed mediatum: Nam sicut aliud est rem promittere, aliud vero promittere promissionem rei, Verbi gratia aliud est vovere castitatem, aliud vero vovere se factum votum castitatis; ita aliud est promittere matrimonium, aliud vero promittere promissionem matrimonii, seu sponsalia.

Ex dictis sequitur, tres conditio-
nes essentialiter requiri ad valorem
sponsalium. Prima est, ut habeatur
promissio voluntaria, & deliberata;
Secunda, quod sit mutua, & accep-
tata; Tertia, quod sit signo sensi-
bili expressa.

III. Requiritur itaque primo pro-
missio voluntaria; quia sponsalia in-
ducunt obligationem, & vis obligandi
habet a voluntate: Debet etiam
esse deliberata, quia cum sponsalia
obligent sub mortali, requiritur tanta
deliberatio, quanta sufficit ad pecca-
tum mortale; Unde fit, quod pro-
missio facta animo simulato non ob-
liget vi promissionis, quamvis possit
aliquando ratione damni illati obligare,
ut dicimus art. 3. Neque obligar
promissio ex animo facta ab eo,

qui ignorabat ex promissione sequi
obligationem; aut ab eo, qui nolle-
bat fe obligare; qui enim non haber-
animum se obligandi, non obligatur,
cum promissio sit veluti lex privata,
quam sibimet imponit promittens;
& obligat juxta intentionem Legisla-
toris, seu promittentis. Verum tamen
est ex Sanch. lib. 1. disp. 9., & aliis,
quod non requiratur in promittente
expresa voluntas fe obligandi, sed
sufficiat tacita, & implicita; qua
qui vult antecedens, censetur etiam
vele consequens, quod naturaliter se-
quitur ex antecedente; ergo qui vult
promittere, sciens naturam promis-
sionis, vult etiam se obligare, cum
obligatio naturaliter sequatur ex pro-
missione; ut dicitur etiam de voto.
Præterea sicut votum sine sufficienti
deliberatione emissum non obliga-
re sub levi quidem; ita promissio
hæc, si sit indeliberata; ut notat Pe-
rez sect. 3., & Con. dub. 2. Et ratio
est, quia obligatio ex iustitia in ma-
teria gravi semper obligat sub mortali,
nunquam sub veniali, ut com-
munius docent cum Lefl. cap. 4 ob-
ligatio autem orta ex promissione ri-
gorosa sponsalium est obligatio iuli-
tia, & in materia gravi; ergo non
potest obligare sub levi, si cum semi-
plena advertentia fiat talis promissio:
Sicuti non obligatur ad restitutionem
ullam, ne sub levi quidem, qui gra-
viter damnificavit ex semiplena deli-
beratione; (quamvis sub levi ad resti-
tutionem teneatur, qui leviter damni-
ficavit cum plena deliberatione) ut
docent communius apud eundem Lefl.
sum, & alios. Et ratio est, quia onus
restitutionis in materia gravi
est grave; quod si damnum non or-
itur ex culpa gravi, non potest parere
onus grave, ut illud compenetur, eo
quod pena gravis culpæ non gravi
non sit consentanea; ergo qui cum
levi culpa ex semiplena deliberatione
gra-

sequi
i nolle
i habet
igatur,
ivata,
tens;
egist-
tamen
aliis,
ittente
, sed
qua
etiam
ter se-
ai vult
romif-
cum
pro-
voto.
cieni
ugar,
missio
at Pe-
ratio
ma-
orta-
com-
ob-
e ri-
justi-
noa
semi-
fissio:
enem
gra-
deli-
resti-
min-
) ut
Lef-
ia o-
ravi
oriza-
tere
co-
ravi
cum
one

graviter damnificat , nullatenus ad ullam restitutionem obligatur .

IV. Requiritur secundo , quod promissio sit mutua , & acceptata ; nam promissio regulariter non obligat , nisi acceptetur ; habet enim hanc tacitam conditionem , videlicet , si alter illam acceptet ; ut notat Sanch. lib. 9. disp. 5. , Reginald. Perez , aliique : Solum in aliquibus casibus , in quibus aliter lex disponit , promissio non acceptata obligat , verbi gratia , si quid promittatur infanti , ex lege *fubemus* , Cod. de *Emancipatione liberorum* ; tunc enim jus positivum supplet defectum acceptationis ; Sic etiam si promissio fiat Civitati , aut Ecclesiae , vel ad causas pias , ut notat Less. cap. 18. n. 36.

V. Tertio requiritur , quod sit signo sensibili manifestata ; Etenim promissio sit homini , qui non potest illam acceptare , & illius obligationem acquirere , nisi aliquo signo externo sibi manifestetur ; In quo differt a voto , quod cum sit promissio facta Deo , qui intuetur cor , non debet exterius manifestari . Ex quo fit , quod si Titius promittat matrimonium Berta , & haec taceat , non fiant sponsalia , quamvis Berta interius consentiat ; quia promissio Berta secundum se non manifestatur per taciturnitatem .

Neque dicas ; In cap. finali *De desponsat. impuberum* , habetur ; Valida esse sponsalia contracta a parentibus pro filiis puberibus , vel impuberibus , si isti consentiant , & non contradicant ; ergo taciturnitas satis est ad sponsalia celebranda .

Nam respondeo , in tali casu satis esse taciturnitatem propter speciale jus positivum , quod illam accipit pro consensu . Immo Con. dub. 3. , & Bonac. contra Sanch. putant ex laud. cap. colligi , etiam valida esse sponsalia a parentibus celebrata pro filiis absentibus , si isti , ubi hoc audie-

rint , non contradicant . Notandum tamen , quod licet hoc sit verum , quando Pater , vel Mater , vel alius habens curam filiorum contrahit pro illis , non est tamen verum , si alius , qui curam filiorum non habet , pro illis contrahat : Et ratio est , quia in illo tantum casu jus accipit taciturnitatem pro consensu ; At in hoc alio casu militat regula illa juris in 6. *Qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur* : Est quidem alia regula juris in 6. dicens : *Qui tacet, consentire videtur* ; Sed hujus regula sensus est , quod tacens consentire videatur in eo , quod est in sui favorem , non vero in eo , quod est in sui præjudicium , & in ordine ad obligationem contrahendam .

VI. Rogabis : Sintne sponsalia Sacramentum , aut Sacramentale ?

Respondeo , neque esse Sacramentum , nec ullum ex Sacramentalibus . Etenim non sunt signum efficax gratiae a Christo institutum , (quod requiritur ad rationem Sacramenti novæ legis) sicut est matrimonium . Neque sunt instituta ab Ecclesia , tamquam cæremonia sacra ad impetrandum a Deo aliquem effectum ; quod requiritur ad Sacramentale .

Neque obstat , quod D. Th. in 4. dist. 24. quæst. 2. dicat , Sponsalia esse Sacramentalia quædam matrimonii ; sicut est exorcismus relate ad baptismum . Nam D. Th. tantum vult innuere , quod eodem modo sponsalia præcedant matrimonium , sicut exorcismus baptismum ; non vero , quod sicut exorcismus est cæremonia sacra facta ab Ecclesia cum quibusdam orationibus , & ritibus ante baptismum instituta , ita similiter sponsalia : haec enim solum approbantur ab Ecclesia ; eo modo quo approbantur etiam in jure civili , & jure gentium , tamquam contractus quidam naturalis prævius ad matrimonium .

VII. Quæritur secundo; Utrum ad valide celebranda sponsalia satis sit animus internus cum deliberatione, seu intentione deliberata virtuali, aut habituali promittendi matrimonium; an requiratur actualis deliberatio, & advertentia?

Ad quæsiti dilucidationem sciendum, quod advertentia, & deliberatio, seu intentione deliberata actualis, seu formalis dicatur illa, quam actu homo habet, quando fit opus; Virtualis vero dicitur, quæ fundatur in actuali, & manet in virtute illius, ita ut licet actualis deliberatio non existat, quando fit opus, censeatur tamen moraliter perseverare, & in opus influere: Hæc solet haberi in conficiendis Sacramentis; etenim intentio deliberata actualis saepe non habetur, quando Sacramentum conficitur; quia tamen ab ea movetur homo ad operandum, dicitur cum intentione virtuali confici Sacramentum: Quare in casu nostro, si quis deliberavit promittere matrimonium Bertæ, & postea, quando promittit, distrahitur ab illa actuali deliberatione, & cogitatione, dicitur cum virtuali deliberatione promittere. Deliberatio deinde habitualis dicitur, quæ nullatenus influit in opus, sed habetur in voluntate per modum habitus; sicut enim habitus non influit in actum, nisi quando determinatur a voluntate; ita qui habet deliberationem habitualem, non influit in actum; quamvis influeret, si ad illum adverteret. Inquiritur nunc, quænam ex his deliberationibus requiratur ad valide contrahenda Sponsalia?

Dico primo cum communissima contra Hurtad. disp. I. diff. 9, Ad valorem contractus sponsalitii sufficere deliberationem, ac intentionem promittendi Matrimonium virtualem: Sicut eadem pariter deliberatio sufficit ad valorem matrimonii, necnon ad

valide vovendum, & ad valorem aliorum contractuum; Ratio est, quia hic est modus agendi in hominibus, nec requiritur in contractibus humanis modus operandi exquisitissimus, vide licet cum deliberatione actuali; hic enim modus est præter humanam conditionem: Quare Donationes, Testamenta, Professio religiosa, &c., censentur valida præcie per hoc, quod ex præcedenti deliberatione moraliter perseverante fiant. Et ratio a priori est, quia in tali casu habetur formalis voluntas contrahendi sponsalia, orta ex deliberatione actuali moraliter perseverante.

Dico secundo; Ad valorem sponsalium non sufficit deliberatio, ac intentione promittendi Matrimonium habitualis; Sicut nec sufficit habitualis intentione relate ad conficienda Sacra menta. Ratio est, quia per talen deliberationem, seu intentionem actio non censetur esse humana; cum non procedat ab ulla deliberatione influente in ipsam.

Neque dicas primo; satis est intentione habitualis ad applicandum aliqui Sacrificium; Nam si hodie applico Sacrificium crastinum pro Petro, quamvis hæc voluntas non sit causa, ut cras sacrificem, tamen si non revocatur, satis est, ut fructus Sacrificii proficit Petro; ergo etiam habitualis voluntas satis est ad valorem sponsalium, & Sacramentorum.

Nam concessio antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia applicatio Sacrificii est quædam donatio, & dispensatio fructus illius; ad donationem autem satis est voluntas habitualis; nam si ego nunc donem, verbi gratia, Titio domum sub conditione, quod crastina die veniat ea domus in meam potestatem, purificata conditione, statim domus evadit Titii fine ulla alia mea voluntate: Ita accidit,

quan-

quando applicatur alteri Sacrificium : At nec contractus, nec confectio Sacramenti habentur ab actione humana, si non procedant a deliberatione saltem virtuali: Esto ad suscipiendum aliquod Sacramentum, puta, Extrema Unctionis, satis sit intentio habitualis, & interpretativa, quia scilicet ad recipiendum minus requiritur, quam ad agendum.

Neque dicas secundo : Aliquando conjuges dormiunt, quando per Procuratorem celebratur contractus sponsalitius, aut matrimonialis ; ergo ad valorem istorum satis est voluntas habitualis.

Nam negatur consequentia ; in causa enim adducto Sponsi, aut Conjuges non habent meram intentionem contrahendi habitualem, sed virtualē ; quia voluntas ipsorum præterita, & non revocata est causa, ut hic, & nunc Procuratores ipsorum nomine contrahant, & sic intentio contrahendi virtualiter perseverat, & influit in contractum per voluntatem procuratorum.

VIII. Quæritur tertio ; An ad valorem sponsalium spectet non solum voluntas promittendi, & se obligandi ad Matrimonium, sed etiam voluntas exequendi, seu ponendi matrimonium, quod promittitur.

Respondeo, & dico primo, Ad contractum sponsalium essentialiter requiri non solum voluntatem promittendi, sed etiam voluntatem se obligandi, ut habeatur vera missio distincta a mero proposito ; ut ostendunt Lessi, & Con. apud Martinum Perez : Quare si quis haberet animum promittendi, & non se obligandi, ignorando, quod ex natura missonis sequatur obligatio, vere sponsalia non contraheret ; Sicut qui vellet emere, & nollet se obligare ad premium solvendum, non celebraret contractum emptionis ; Quia tamen ad

naturam contractus sequitur obligatio, idcirco qui naturam contractus cognoscit, & non vult se obligare, vere non vult contrahere, quamvis oretenus dicat, id velle ; cum impossibile sit habere duas voluntates oppositas contrahendi, & non se obligandi.

Hic autem adverte, per promissionem sponsalium non conferri alteri solum jus ex fidelitate, sed etiam ex justitia ; ut docent communiter cum Vasq., & Perez contra Hurt. Ratio est, quia quoties contractus est mutuus, & onerosus, obligatio, & jus, quod ex eo oritur, est justitiae, quæ respicit æqualitatem, & recompensationem rei æquivalentis ; quod non respicitur a fidelitate : Si tamen missio non esset mutua, tunc ex sola fidelitate consurgeret obligatio, dummodo promittatur matrimonium independenter a re promissione ; Alter obligatio est nulla, quia non obligat missio facta sub conditione, quæ non purificatur : Quod si quis dubitet, an promiserit matrimonium cum animo se obligandi independenter a re promissione alterius, judicandum est, quod promiserit dependenter ab illa, seu sub conditione, quod alter pariter re promittat matrimonium. Ratio est, quia præsumitur, promisso juxta naturam sponsalium, quæ ferunt promissionem utriusque contrahentis.

Dico secundo ; ad valorem sponsalium non est necessaria voluntas exequendi, seu ponendi matrimonium, quod promittitur. Ita communiter cum Sanch., Filliuc., & aliis apud Perez contra Valent. Ratio est, quia ad valorem Sponsalium solum requiritur missio, & voluntas se obligandi ; hac autem stare potest cum proposito non exequendi id, quod promittitur : Sicuti cum voto castitatis stare potest mala intentio forni-

nicandi; & cùm voluntate donandi, verbi gratia librum, stare potest voluntas illum comburendi. Ratio a priori est, quia per promissionem datur jus ad rem; potest autem dari jus ad rem, quin detur res ipsa, immo cum voluntate prava non dari illam.

Neque dicas cum D. Th. 2. 2. quæst. 88. art. 1. Ad votum requiri propositum faciendi, cum promissio ex tali proposito procedat. Nam D. Th. loquitur de voto, & promissione, ut licite, & honeste, non vero ut solum valide fiant.

ARTICULUS II.

De Promissione facta Sponsalium.

- I. *Promissio facta non sufficit ad valorem sponsalium. Ea tamen in foro externo parit obligationem, non quidem naturalem, sed civilem.*
- II. *Facte promittens ad quid tenetur in foro conscientia?*
- III. *Quid, si facte promittens Virginem deforavit sub spe matrimonii? Quod si quis consanguineam deforavit vere promittendo absolute matrimonium, num teneatur dispensationem petere, & stare promissis?*
- IV. *Num possit pecunia damnum compensare hujusmodi deforator, si sit notabiliter dignior? At quid si ea fuerit corrupta, & non disparis conditionis?*
- V. *An possit facte promittens negare coram judice promissionem, quando non teneatur vi illius ad matrimonium.*
- VI. *Si quis notabiliter dignior facte matrimonium promittit Berte, sed cum juramento, num illam teneantur ducere ratione juramenti?*
- VII. *Quid, si tale juramentum non con-*

firmet, sed solum comittetur promissionem?

VIII. *Et quid, si tam promissio sit facta, quam juramentum?*

I. **D**iximus, promissionem factam, seu exterius factam sine animo promittendi, aut se obligandi, non sufficere ad valorem sponsalium, cum vere non pariat obligationem: Etenim obligatio sponsalium provenit ex sola voluntate promittendi. Certum tamen est, quod promissio facta in foro externo aliquam pariat obligationem, non naturalem, sed civilem, videlicet non ortam a natura, sed a Republica, & a Principe humano.

II. Quarierunt propterea primo, Ad quid teneatur in foro conscientia, qui facte matrimonium promisit?

Respondeo, & dico; Qui facte promittit matrimonium feminæ non re-promittenti, peccat quidem venialiter mentiendo, sed secluso damno, quod sequitur, ne sub veniali quidem tenetur eam ducere. Ita Sanch. disp. 10., Ledesm., Perez contra Valsq. Ratio est, quia neque tenetur ratione promissionis, cum fuerit facta; Neque ratione injuria; non enim habetur in casu nostro contractus onerosus, unde inferatur alteri injuria; Neque tenetur ratione damni, cum supponamus, nullum inde sequi damnum; ergo quamvis peccaverit venialiter mentiendo facte promittens alteri non re-promittenti, non per hoc tenetur, ne sub veniali quidem, stare promissis, utpote factis.

Dico secundo; Facte promittens matrimonium alteri re-promittenti peccat graviter contra iustitiam. Ita communiter. Ratio est, quia in quolibet contractu utrinque oneroso lex iustitiae prescribit, ut uterque serio contrahat; Aliter altera pars graviter decipi-

peretur, eique gravis injuria fieret, dum dolo induceretur ad se obligandum; quod certe non faceret, si sciaret alterum ficte permettere. Si tamen ex urgente causa quis ficte promitteret, Verbi gratia, ad vitandum scandalum, vel ob metum mortis, &c., tunc sane non peccaret graviter sicut mentiendo, immo nec venialiter, si uteretur aequivocatione.

Dico tertio; Ficta promittens matrimonium alteri repromittenti non solum peccat mortaliter contra justitiam, sed etiam tenetur contrahere matrimonium; nec satis est, damnum illatum alia via resarcire. Ita communiter cum Ledesm. contra Molin., & Perez disp. 2. sect. 2. Ratio est, quia quamvis non teneatur contrahe-re matrimonium ratione promissionis, utpote ficta, tenetur tamen ratione injuria irrogata; etenim cum violaverit justitiam ficto consensu, tenetur ponere verum consensum, & veram promissionem matrimonii, ut injustitiam auferat. Nec satis est pecunia, verbi gratia, satisfacere; quia non satisficeret in eadem specie debiti; Sicuti enim qui suratus est, verbi gratia, equum, tenetur illum, si potest, restituere, ex leg. 2. ff. si certum petatur; nec satisfacit compensando pecuniis damnum illatum; ita qui peccavit contra justitiam non ponendo veram promissionem matrimonii, tenetur ex justitia illam ponere; quia posita, tenetur deinde etiam ex justitia contrahere matrimonium promisum.

Neque dicas cum Perez, quod licet peccaverit contra justitiam in intentione, non tamen in executione, cum nullum supponatur damnum irrogasse. Nam contra est, quia maximum damnum est, quod una pars tantum (videlicet quae vere promisit) obligetur ad matrimonium, ad arbitrium alterius, altera vero pars,

quae ficte promisit, ad matrimonium non obligetur.

III. Infertur ex dictis primo, quod qui ficte matrimonium promisit, & sub ea spe defloravit Virginem, tenetur eam ducere; nec satis sit, quod damno deflorationis satisfaciat constituendo dotem. Ita Sanch. disp. 10. contra Perez, & Bonac. Ratio est, quia justitia commutativa exigit non solum, ut reddatur aequale, sed idem numero ex justitia debitum.

Infertur secundo ex Sanch. loc. citat. idem dicendum, quamvis promissio non fuerit mutua, sed vir promittat matrimonium Berta, si consentiat in deflorationem, & ipsa consentiat. Hic enim est perfectus contractus utrinque onerosus; nam Virgo consentit in deflorationem, ut tu obligaris absolute ad matrimonium; in omnibus autem contractibus utrinque onerosis, in quibus intervenit, facio, ut facias, vel do, ut des, quilibet tenetur ex justitia ponere verum consensum. Dubitatur acriter, Num tenetur petere dispensationem, & ad Matrimonium obligetur, qui consanguineam, aut aliter impeditam defloravit sub spe Matrimonii illud promittens absolute, nulla facta mentione de petenda dispensatione?

Respondeo, Sanchez apud Croix lib. 3. p. 2. n. 317. cum aliis negare; quia cum talis promissio matrimonii absolute facta sit de re illicita, non obligat; unde satis est in tali casu, quod damnum deflorationis aliter compensetur. At Lugo disp. 12. de Just. num. 54. verius docet, quod teneatur, quia promittens matrimonium implicite obligat se ad tollenda impedimenta: Sicuti si Religiosus promittat alteri decem, implicite obligat se ad petitam licentiam a suo Prælato.

IV. Quæritur secundo; Utrum quando vir est notabiliter dignior, si ficte promisit matrimonium Berta, & sub

B ea

Pars VII.

ea spe illam defloravit, teneatur eam ducere, an possit pecunia satisfacere?

Respondeo cum eodem Sanch., non teneri ad illam ducendam. Ratio est, quia vel Berta cognoverat excessum dignitatis viri, vel non; Si cognoverat, jam ipsa voluit decipi; Credere enim debebat virum adeo disparem fictè promissurum; Si vero non noverat, neque tenetur ducere, sed satisfacit dando justum premium. Ratio est, quia neque tenetur ratione promissionis, ut patet, cum fuerit ficta; neque ratione injustitiae, seu injuria illata, non ponendo consensum obligatorium, quia justitia obligat tantum ad ponendum æquale, & non superexcedens; in casu autem nostro consensus obligatorius foemina, & consensus viri notabiliter dignioris non sunt consensus æquales; pluris enim æstimatur consensus viri notabiliter dignioris, ut patet; ergo talis vir non tenetur ex justitia ponere verum consensum: Sicuti fictè promittens meretrici valde superfluum in sui Corporis premium, injustus quidem est decipiendo, non tamen ex justitia tenetur habere consensum reddendi, nisi æquale. Quare potest deflorator in casu nostro satisfacere pecuniis pro damno illato.

Hinc infert probabiliter Sanch. contra Palud., & Cordub., & alios apud Croix num. 70., quod fictè promittens matrimonium foemina corruptæ, quamvis sit pars conditionis cum illa, & hæc sub ea spe tradiderit corpus, non teneatur illam ducere, sed posset alia via injuriam compensare; quia illam ducere est longe majus, & superexcedens, quam fit copula, quam offert foemina corrupta; Nisi tamen talis foemina esset bona famæ, infamiamque contraheret ex copula, ob quam non posset alteri æqualis conditionis nubere, tunc enim teneatur illam ducere.

Sed probabiliorem censeo cum Croix sententiam Palud., & aliorum, quod teneatur illam ducere; cum nec detur disparitas inter contrahentes, nec fraus ex parte foemina intercesserit. Et quamvis copula ab ea oblata sit longe minus, quam illam ducere; at ea non solum obtulit copulam, sed etiam obligavit se ad matrimonium ad arbitrium viri; ergo pariter debet vir ex justitia se obligare ad illam ducendam, ut habeatur in contractu æqualitas.

V. Dubitatur hic; An quando fictè promittens non tenetur ad matrimonium, possit rogatus a Judice negare promissionem?

Respondet Sanch., & Croix de Sponfaliibus num. 66. quod possit; ne si fateatur promissionem, (cum defecatum intentionis probare nequeat) ad matrimonium cogatur. Ratio autem, cur id possit, est, quia responso illæ in tali casu non esset restrictio pure mentalis, & consequenter nec mendacium, sed esset ad mentem interrogantis: Judex enim interrogat, num promiserit, ita ut teneatur eam ducere; Quare si neget promisisse, non mentitur. Hinc Navar. apud eundem Sanch. dicit, quod rogatus a Judice non protulerit ea verba, Accipio te in meam, possit juramento negare, quod ea dixerit, si fictè ea protulit; Et Covar. cum aliis docet, interrogatum a Judice, num revera acceperit nummos, quos revera non debet restituere, possit jurare, se non recepisse; quia non recepit, ita ut teneatur tunc solvere. Sylvest. etiam V. Mendacium quæst. ultim. dicit, Clericum rogatum a Custodibus, num aliqua portet, ob quæ ad gabellam solvendam compellatur, posse juramento negare, intelligendo se nihil portare, ita ut gabellam debeat. Ad ditque Sanch., non solum possit negari promissionem datam, quando est cer-

certa causa non implendi illam, sed etiam quando est probabilis iudicio prudentum; potest enim jurare, se non promisisse, ita ut teneatur, quia innixus opinioni probabili potest tutta conscientia se non obligatum existimare. Evidem tamen in expositione thesis 26. proscriptæ ab Innoc. XI. loquendo de restrictione non pure mentali, ac de aequivocatione, admittendam censui in similibus casibus, data causa sufficienti, restrictionem non pure mentalem; ita scilicet ut responsio ad mentem interrogantis vera sit, quamvis circumscriptis circumstantiis videatur falsa. Addiditamen, longe maiorem causam requiri ob reverentiam Numini debitam, ut hujuscem formæ restrictionibus non pure mentalibus juramentum superaddatur.

VI. Quæritur tertio; An quando vir est notabiliter dignior, & fide promittit foemina matrimonium juramento firmante promissionem, teneatur saltem ratione juramenti illam ducere, si sub ea spe defloravit?

Respondeo, Sot., Cajet., & alios affirmare: Sicut enim qui sicut promittit solvere usuras, & jurat, teneatur solvere, non ratione promissionis, sed vi juramenti, ut omnes factentur; Ita in casu nostro. Et ratio a priori videtur esse, quia juramentum obligat, etiamsi non cadat in promissionem; sed in simplicem assertione faciendi aliquid.

Verum Perez disp. 3. sect. 5., Sanch. lib. 1. disp. 5., & alii docent oppositum; quia quoties promissio non obligat, nec obligat juramentum in illa promissione fundatum. Quod patet in casu ab omnibus admisso: Si quis enim promittat alteri sub juramento matrimonium, & alter repudiet promissionem semel acceptatam, certe promittens, cum non teneatur amplius ad matrimonium ratione promissionis repudiata, nec tenetur ra-

tione juramenti confirmantis promissionem. Et ratio a priori est, quia quando principalis obligatio non subsistit, corruit etiam obligatio accessoria, ex Regula Cum principalis ff. de Regulis juris: etenim ablato fundamento corruit id, quod in eo fundatur; atqui in casu nostro juramentum fundatur in promissione, & per juramentum tantum asseritur ponendum id, ad quod vi promissionis ille teneatur; ergo quando obligatio orta a promissione est nulla, pariter nulla erit obligatio juramenti confirmantis promissionem.

VII. Ad id, quod objicitur, respondeo, juramentum solvendi usuras non confirmare promissionem, sed illam comitari; & idcirco obligat: Nam qui id jurat, non jurat ponere solutionem usurarum, ad quam vi promissionis obligatur, sed simpliciter jurat solvere usuras; ergo ad solutionem obligatur, non vi promissionis, sed juramenti: At in casu nostro qui promissionem matrimonii confirmat juramento, tantum jurat ponere matrimonium, ad quod vi promissionis obligatur; ergo si vi promissionis non obligatur ad matrimonium, nec vi juramenti obligabitur. Si tamen juramentum non esset confirmans promissionem, sed illam comitans, ut est juramentum solvendi usuras, concedo equidem, quod independenter a promissione obligaret: Regulariter tamen in sponsalibus juramentum solet promissionem confirmare; & idcirco communiter docent, quod si quis promittat alteri matrimonium sub juramento, illo repudiante promissionem semel acceptatam, nec promissio, nec juramentum obliget.

VIII. Quod si non solum promissio, sed etiam juramentum sit fictum, seu præstitum sine animo jurandi; (quamvis id non liceat ex propositione 25. damnata ab Innoc. XI.)

B 2 illud

illud ex motivo religionis non obligat, ut communiter etiam Doctores docent; cum non sit verum juramentum; Quicquid sit, An aliquando obligaret ex justitia, quia contrahentes ex justitia tenentur parem obligationem subire; unde si quis vere juraret matrimonium cum aequali contrahere, & alter ficeret tantum juraret sine ulla causa excusante, certe ad matrimonium non ex religione, sed ex justitia teneretur.

ARTICULUS III.

De Promissione mere interna nubendi facta sive homini, sive Deo per Votum.

- I. Promissio matrimonii facta homini, si sit mere interna, non obligat.
- II. In quo differat propositum a promissione mere interna?
- III. Votum nubendi solum per accidens potest esse obligatorium.
- IV. Quandonam obligat votum nubendi ad vitandum periculum incontinentie?
- V. Quid si quis voveat causa pietatis ducere Bertam pauperem? Num in tali casu voveantur duo per modum plurium, an per modum unius?
- VI. Votum nubendi sine animo consummandi utrinque emissum, per se loquendo, est irritum.
- VII. Nequit utrinque emitte votum nubendi, præcise ad finem recipiendi gratiam propriam Sacramenti matrimonii sine animo consummandi.

I. Potest quis promittere alteri aetu mere interno matrimonium, in quo casu licet certum sit non contrahi sponsalia, dubium tamen est, an aliqua ex tali promissione consurgat obligatio, ut ea distinguatur a mero proposito? Dubium

etiam hic est, an promissio matrimoni facta non homini, sed Deo, hoc est votum nubendi cum Berta, sit validum, & obligatorium? Videtur enim non esse de meliori bono.

Quæritur itaque primo; An promissio mere interna facta homini ullam obligationem inducat?

Respondeo, neque jure civili, neque naturali ullam obligationem inducere: non jure civili, ut omnes concedunt; quia jus civile exigit acceptationem, ut promissio obliget: Neque jure naturali, ut communius docent cum Perez contra Molin. tom. 2. disp. 260. Ratio est, primo quia promissio consistit in locutione, seu affirmacione, qua quis alteri suam fidem offert, ut constat ex communi usu, & intelligentia; hoc autem non habetur in promissione mere interna; Secundo, quia communior sententia cum Sanchez. & Less. docet, promissionem, ut obliget, debere esse acceptatam, idque provenire non solum ex jure civili, ut diximus, sed etiam naturali; Tum quia obligatio inter homines, quæ habetur ex promissione, non nascentur nisi mutuo duorum consenserit; Tum etiam, quia adhuc promissio facta Deo non obligat, si ab ipso non acceptetur, ut si sit de rebus indifferentibus, nedum malis; Tum demum a priori, quia cum promissio fiat in favorem promissarii, includit tacitam illam conditionem, si scilicet acceptetur; beneficia enim non conferuntur invitis. Verum quidem est, quod promissiones factæ Civitati, vel ad causas pias non requirant acceptationem, ut obligent; quia hoc jure civili statutum est, ex leg. 3. ff. De pollicitationibus; in favorem enim Civitatis, & causæ piae decernitur, ut non possit ad libitum revocari talis promissio ante acceptationem; sed decernitur etiam, ut promittens in tali casu non teneatur solvere, antequam petatur a pro-

promissario: Ex quo fit, ut nulla promissio obliget aut ante acceptationem, aut saltē ante petitionem.

II. Dices; si promissio matrimonii mere interna facta homini jure naturali non obligaret, sequeretur, quod non distingueretur a proposito nubendi; sequela non admittitur: ergo nec id, unde sequitur.

Respondeo, nego sequelam; et enim promissio interna habet obligationem radicaliter, & inchoative, seu in actu primo; ita ut si innotescat, & acceptetur, formaliter, & perfecte obliget; secus vero propositum. Ex quo fit, ut talis promissio, nec si juramento firmetur, obliget, ex dictis articulo superiore: Secus vero si fiat votum nubendi, ut mox dicemus; Etenim votum est promissio facta Deo; Juramentum vero est adductio Dei in testem veritatis asserta; in casu autem nostro asseritur, quod fiat matrimonium, ad quod vi promissionis internae factae homini obligantur; ergo cum non teneatur ad matrimonium vi talis promissionis, nec tenetur vi juramenti illam non comitantis, sed confirmantis.

III. Quæritur secundo; Utrum obliget votum, seu promissio facta Deo nubendi?

Respondeo, & dico primo, per se loquendo non obligare; cum tale votum non sit de meliori bono; Trident. enim sess. 14. Can. 10. definit, meliorem esse statum Virginitatis, & Cœlibatus, quam matrimonii. In hoc autem differt promissio facta Deo a facta homini; quod hæc respiciat bonum, & commodum promissarii; illa vero non solum respiciat, quod est in se bonum, & honestum, ita ut res indifferens non sit materia voti, sed etiam quod non est impedimentum majoris boni; matrimonium autem est impedimentum Virginitatis,

quæ est majus bonum; ergo matrimonium non est materia voti. Dixi tamen, per se loquendo; nam per accidens matrimonium ratione circumstantiarum potest esse majus bonus, & sic votum de illo obligaret: Verbi gratia, si ex matrimonio sequeretur maxima Reipublicæ utilitas, Principum concordia, magna conver-sio infidelium, &c. Eodem modo, si femina deflorata fuit sub promissione matrimonii, ita ut deflorans teneatur ex præcepto justitiae eam du-cere; Etenim in tali casu votum castitatis non acceptaretur a Deo, & vovens matrimonium supponeretur impeditus a præcepto justitiae suscep-re statum altiore cœlibatus.

IV. Dico secundo; Votum ducendi uxorem ad vitandum periculum incontinentiae obligat, dummodo ad vitandam incontinentiam tale votum non solum sit utile, sed sit utilius, quam cœlibatus. Ita Perez disp. 3. scđt. 3. ex Suar. Ratio est, quia in tali casu Melius est nubere, quam uri, ut dicitur 1. ad Corinth. 5., offertur que Deo victoria incontinentiae perfectior, quam haberi possit per Cœlibatum.

V. Dico tertio; Votum nubendi cum determinata persona factum causa pietatis, verbi gratia, cum paupe-re, vel cum meretrice, vel cum deflorata ab alio, ut liberetur ab ege-state, a peccato, ab infamia, est sim-pliciter invalidum; nisi fiat conditio-nate, videlicet, si ducturus sum Uxo-rem, non aliam ducam. Ita Sanch. lib. 1. disp. 4., Perez, & alii contra Henr., Filliuc., Suar. tom. 2. de Religione lib. 2. cap. 9. Ratio est, quia quamvis illud votum sit pius, at est impedimentum majoris boni, & altioris status perfectionis, qualis est cœlibatus, & status religiosus: Et sane quoties actus bonus est adeo tenuis, ut ejus parentia sit moraliter melior.

tunc

tunc nequit esse materia voti, cum votum debeat esse de bono meliori; actus autem nubendi, etiam causa pietatis, non est bonum melius, quam sit ejus parentia, seu cœlibatus, qui magis abstrahit hominem a sacerdotalibus curis, & voluptatibus carnis, ex 1. ad Corinth. 7. Ergo non est materia voti. Nisi tamen, ut diximus, votum fuerit conditionatum, videlicet, si duxurus sum uxorem, voveo non aliam duxuram, quam hanc; tale enim votum procul dubio est validum. Quod si dubitetur, num votum emisum sit conditionatum, an absolutum? dicendum est, fuisse absolutum, ut magis favamus libertati, quæ est in possessione; sic enim nullatenus obligat, cum sit invalidum.

Neque dicas cum Suar. contra Sanch., Votum nubendi cum determinata persona factum causa pietatis, etiam si absolutum, obligare, saltem quoad partem materiæ, perinde ac si esset conditionatum, ita scilicet ut quamvis vovens non teneatur nubere, teneatur tamen, si velit nubere, non aliam ducere, quam personam illam determinatam.

Nam contra est, quia si votum non fuit conditionatum, sed absolutum, omni ex parte est irritum; & tunc obligaret ad partem materiæ, quando vovens duo voveret, & uxorem ducere, & ducere pauperem; in hoc enim casu prior pars non esset materia voti, unde non teneretur nubere; esset tamen materia voti secunda pars; unde ex suppositione, quod vellet nubere, teneretur ducere pauperem. At in casu nostro votum respicit indivisim matrimonium cum tali persona; ergo simpliciter non obligat. Sicuti si quis vovet peregrinationem Lauretanam, ædificare templum, &c., si sit impotens ponere votum, quod vovit, liber est etiam aponenda parte, quam potest. Et i-

dem dicas, si per modum unius vovat recitare coronam, officium defunctorum, &c.: Secus vero, quando plura per modum plurium voventur, ut jejunare per totam Quadragesimam, recitare horas Canonicas, &c.; cum enim Ecclesia ad hæc obliget per modum rei dividua, quæ ea vovit, censetur impositis sibi obligationem similem illi, quam ponit Ecclesia suis præceptis; unde si non potest totam Quadragesimam jejunare, tenetur ad partem, quam potest.

Urgebis cum eodem Suar. ex Regula juris 37. in 6. *Utile non debet per inutile vitari:* Ergo licet tale votum sit inutile, & non obliget quoad ducendam uxorem, est uile tamen, & obligat quoad ducendam illam pauperem in casu, quod vovens veit uxorem ducere.

Respondeo, Regulam illam intelligendam esse, quando potest utile ab inutili separari ex ipsa natura rei, & ex modo promittendi; quando autem quis vovet connubium cum paupere, vel cum meretrice, non est separabile connubium ab ipso opere pro ex modo promittendi; cum promittatur utrumque per modum unius, & non per modum plurium separabilium.

VI. Dico ultimo; Votum nubendi sine animo consummandi per se loquendo est irritum, etiam utrinque habeatur talis animus. Ita Suar., Sanch., Perez sect. 4. contra Soc. Ratio est, quia quamvis tale votum non irroget alteri injuriam, cum sit ex utraque parte; neque impediat constitutam, cum possit vovens ingredi Religionem: impedit tamen statum cœlibatus simplicis, qui est melior, quam status matrimonii, quamvis cum animo non consummandi; Ac præterea constituit hominem in gravi periculo manendi in statu conju-

gali,

gali, petendo a voto dispensationem; unde difficiliorem redderet viam perfectionis; Atqui non solum opponitur meliori bono id, quod excludit perfectionem, sed etiam quod reddit illam difficiliorem; ergo votum de matrimonio solum quoad vinculum, seu de matrimonio rato non est de meliori bono, atque adeo invalidum:

VII. Dixi tamen, per se loquendo; aliquando enim ratione circumstantiarum est validum; ut si homo teneatur matrimonium contrahere propter bonum commune, & pacem alicujus Regni; vel ad legitimandos filios ex concubina genitos, vel ratione nocimenti facti, si aliter satisficeri nequeat, nisi nubendo; vel demum si interveniat specialis revelatio divina, quam intertuisse in Matrimonio Beatæ Virginis cum S. Joseph, communiter Scholastici docent; in his enim casibus votum non est impeditivum statutum perfectionis, videlicet cœlibatus, sed supponitur, quod homo aliunde sit impeditus, ut non possit in statu cœlibatus vivere.

Dices: Quilibet habet jus ante matrimonii consummationem ingrediendi Religionem, invita parte, necnon manendi in Sæculo, si uterque conjux conveniat de non consummando; quod de S. Henrico, & Gunegunda, ac de aliis legitur: Ergo vovere matrimonium ad finem dumtaxat suscipiendo tale Sacramentum, ejusque gratiam, sine animo consummandi, non videtur illicitum.

Respondeo, concessio antecedente, nego consequentiam; nam si quis post matrimonium voveat non consummare, sed Religionem ingredi, nulli facit injuriam, sed utitur jure suo, & consultit saluti animæ sua; quod majus bonum est, quam sit datum, quod patitur pars reicta: Contra vero, si ante matrimonium voveat, illo Sacramento suscepto,

non consummare; irrogat injuriam alteri parti, quæ si sciret tales animum, procul dubio matrimonium non contraheret, ne se exponeret infamia, dum a viro statim relinquitur: Neque potest utraque pars ad id convenire, ut gratiam talis Sacramenti suscipiant, quia matrimonii Sacramentum non est institutum ad tales finem, ut solum propter gratiam, quam confert, suscipiat, sed ad procreationem prolis, & remedium concupiscentiæ; Ergo eo fine principali cessante, non expedit illud suscipere; sed augmentum gratiæ per alia Sacraenta, & pia opera comparandum.

ARTICULUS IV.

De Verbis, & aliis signis, & modis, quibus sponsalia contrahuntur.

- I. *Quænam signa externa spectent ad valorem sponsalium?*
- II. *Quid si dubitetur, an signa externa exprimant consensum in sponsalia, an in matrimonium? Absolutumne, an conditionatum?*
- III. *Quid si Titius uni ex pluribus sororibus indeterminate matrimonium promittat, & promissio ab omnibus acceptetur?*
- IV. *Quandonam taciturnitas fit sufficiens signum constitutivum sponsalium?*
- V. *Sex modis sponsalia valide contrahuntur.*

I. **C**'Um sponsalia more humano contrahi debeant, atque ad eorum promissio debeat signo externo manifestari, inquirendum, Quibus verbis, aut aliis signis exprimi debeat, ac soleat isthac promissio?

Quæritur itaque primo; Quænam signa sensibilia requirantur ad valorem sponsalium?

Re-

Respondeo, requiri, & sufficere omnia illa signa, quæ hic, & nunc, spectatis omnibus circumstantiis, satis exprimunt parti internum consensum, quin requirantur verba ulla determinata. Quare si partes convenient aut invicem, aut ex consuetudine loci recepta, ut manuum constrictio, verbi gratia, signum sit interni consensus, sufficienter per tale signum constituerent sponsalia: Et de facto apud quosdam Indos, teste Con., contrahuntur sponsalia per hæc verba: Ego te sepeliam, si supervixero.

II. Si tamen signa externa sint dubia, semper ita interpretanda sunt, ut minimam obligationem inducant: Quare si certum sit, quod aliqua verba internum consensum exprimant, dubium vero sit, num significant consensum in sponsalia, an in matrimonium? ut si dicatur, Accipio te in uxorem in crastinum, dicendum, quod sponsalia, non autem matrimonium constituent; ut quantum fieri potest, favetamus libertati possidenti: Quamvis revera Con., Hurtad., & alii contra Victor., & Sanch. velint, quod hujusmodi verba matrimonium potius significant, quam sponsalia; quia sensus illorum videtur esse, Volo nunc, ut crastina die sis mea uxor; ita ut non promittatur matrimonium, sed tradatur corpus pro crastina die.

Dubium etiam est, An hæc verba, Non aliam præter te ducam, sufficient ad sponsalia? Negat Sanch., Con., Henr. contra Palud., & plures Canonistas. Ratio est, quia sensus illorum verborum est conditionatus, videlicet, si uxorem ducam, non nisi te ducam. Verum si hujusmodi propositiones exceptivæ respiciant tempus præsens, aut præteritum, videntur esse absolutæ; si vero respiciant tempus futurum, videntur esse conditionatae. Hinc si dicatur, Nullus Apostolorum, præter Judam, tradi-

dit Dominum, vel, Non nisi Petrus currit, videtur absolute significari, quod Judas Dominum tradiderit; vel quod Petrus currat, & nemo aliud præter Petrum. Hinc verba ista, Nullam aliam volo in uxorem prætere, videntur sufficere ad matrimonium, quia habent significationem absolutam; cum sensus sit, Te, & non aliam volo in uxorem: Contra vero hæc verba, Nullam aliam ducam præter te, non videntur sufficere ad sponsalia; quia habent significationem conditionatam, denotando, quod, si uxorem sim ducturus, non nisi Te ducam. Ratio disparitatis ex Perez disp. 4. sect. 4. est, quia propositio exceptiva, quando respicit tempus præsens, vel præteritum, significat objectum determinate: Contra vero quando respicit tempus futurum: Unde qui vovet, nullam aliam Religionem se ingressurum, præterquam Capucinorum, non videtur absolute obligandus ad ingressum ad illam Religionem, sed solum conditionate, si scilicet velit esse religiosus.

Ceterum circa signa dubia relate ad sponsalia in foro interno standum est intentioni contrahentium, cum ab ea pendeat valor illorum; in foro autem externo standum est signorum significationi, juxta circumstantias, & loci consuetudinem.

III. Quæritur secundo; An ex verbis disjunctivis consurgant sponsalia; ut si Titius dicat pluribus fœminis; Ducam aliquam ex vobis, quam elegero, & illæ repromittant?

Respondeo, in tali casu non haberi in rigore sponsalia, quæ cum ordinentur ad matrimonium, debent respicere personam determinatam, sicut respicit matrimonium: Præterea debet ex sponsalibus consurgere impedimentum publicæ honestatis; quod certe non consurgeret in casu noltro, si scilicet Titius pluribus sororibus ma-

trimonium promittat disjunctive. Di-
co tamen, quod Titius teneretur ex
vi contractus initi unam illarum eli-
gere, & ducere. Quod si cum una
haberet copulam, censendum, illam
elegisse, nisi aliud exprimat; ut no-
tar Rebel., Con., quia non præsumi-
tur illa aliter concedere usum sui cor-
poris, nisi sub spe futuri matrimonii.

IV. Quæritur tertio; An aliquando
taciturnitas, tamquam signum exter-
num consensus interni, sponsalia con-
stituat?

Respondeo affirmative, ut diximus
articulo primo, numero quinto. Et
primo quidem aliqui pro aliis tacen-
tibus ex istorum mandato sponsalia
contrahunt, ut patet: Si enim spon-
salia contrahi possunt per Procurato-
rem, & Internuncium, pariter con-
trahi possunt ab aliis de mandato prin-
cipialium. Secundo, quando parentes
contrahunt pro filiis præsentibus, ho-
rum taciturnitas habetur pro signo ex-
tero consensus interni, ex cap. unico
de Desponsatione impuberum in 6. Et
quod dicitur de parentibus, probabi-
liter ex Perez, Con., Bonac. contra
Sanch., & Rebel. extenditur ad Tuto-
res, Curatores, & alios, qui loco
parentum curam habent pupillorum,
aut minorum; Nam in his casibus
Pupilli, & minores scientes, quid a-
gatur, & non contradicentes, cum
facile possint, consentire videntur.
Ratio autem, quare Bonif. VIII. in
land. cap. solum meminerit Parentum,
non vero Tutorum, & Curatorum;
est, quia Parentes regulariter pro cu-
ra, & sollicitudine filiorum sunt, &
de illis copulandis frequentius agunt.
Alii autem nonnisi in defectum Pa-
rentum.

Oppones: Taciturnitas filii, pro
quo spondet Pater, provenire potest
ex metu reverentiali erga Patrem;
ergo non est signum consensus inter-
ni.

Pars VII.

Respondeo, nego consequiam;
nam etiam verba affirmantia profer-
ri possunt ex metu reverentiali, nec
perinde sequitur, quod non sint si-
gna consensus interni: Si tamen filius
ex metu reverentiali aut taceat, aut
expresse annuat sine interiori consen-
su, procul dubio in foro interno spon-
salia sunt invalida, & solum sunt vali-
da pro foro externo: Si vero ex me-
tu reverentiali aut taceat, aut annuat
cum consensu interno, sponsalia sunt
etiam pro foro interno valida, ut di-
cemos quæst. seq. art. 8., & quæst. 4.
art. 2. Etenim metus reverentialis ca-
dens in constantem virum irritat so-
lum contractum matrimoniale, alios
vero contractus non reddit irritos,
sed irritandos.

V. Quæritur quarto; Quot modis
sponsalia contrahantur?

Respondeo, sex modis posse valide
contrahi, ut constat ex haecenus di-
ctis. Primo quidem publice coram Pa-
rocho, & testibus, ut matrimonium.
Secundo privatim, & clandestine, so-
lis conscientiis contrahentibus; Etenim
solum matrimonium clandestinum a
Trident. invalidatur, ut declaravit Sa-
cra Congregatio apud Rebel. lib. 4.
sest. 3., & communiter Doctores do-
cent contra nonnullos apud Sanch.
lib. 1. disput. 12. Tertio per verba,
Verbi gratia, Promitto tibi matrimo-
nium. Quarto per varia signa, verbi
gratia, per subarrhatiōnem, seu per
annuli donationem, & receptionem,
ubi ex consuetudine loci hæc sunt si-
gna sponsalium. Aut si post tractatum
inter amicos de matrimonio inter Ti-
tium, & Bertam, Titius mittat Ber-
ta pecuniam, vel jocalia, & illa ac-
ceptet; Aut si vir apprehendens fœ-
minæ manum dicat, Do tibi fidem
de matrimonio contrahendo, & illa
manum non retrahat. Quinto per Pa-
rentes, Tutores, Curatores, qui pro
liberis, pupillis, minoribus, etiam ab-

C sen-

sentibus, contrahunt, ipsis scientibus,
& non contradicentibus. Sexto per
Procuratorem, seu Internuncium, aut
per literas.

ARTICULUS V.

Quinam possint Sponsalia con-
trahere?

- I. *Jure Canonico ad valorem sponsalium requiriatur saltem septennium.*
- II. *Ultima dies temporis requisiti ad sponsalia, ad Matrimonium, ad Testamentum sufficit, si sit incepta; ad Professionem vero debet esse completa.*
- III. *Sponsalia invalida ex defectu atra-
tis non ratificantur sine notitia nul-
litatis.*
- IV. *Si malitia suppleat etatem, proba-
biliter valida sunt sponsalia ante
septennium. At quia pro foro ex-
terno?*
- V. *Num possint Parentes, aut Tutores
contrahere sponsalia pro filiis, aut
pupillis ante septennium?*
- VI. *Habens votum castitatis, si promi-
st fæmine matrimonium sub con-
ditione copulae, ad quid tenetur post
copulam obtentam?*
- VII. *Num sint valida sponsalia inter no-
tabiliter inaequales?*
- VIII. *Cur offerens premium excessivum
pro re, quam emit, non tenetur
solvere, nisi premium iustum; No-
bilis vero offerens prodige matrimo-
nium plebejo, tenetur stare promis-
sis?*

I. Hæc tenus explicavimus ratio-
nem formalem essentialiter
requisitam ad sponsalia perficienda, a-
gendum nunc de habilitate persona-
rum contrahentium, inquirendo, Quæ-
nam etas in illis requiratur? Et quæ-
nam impedimenta contractum invalid-
ent, inspecto statu, & conditione

contrahentium?

Quæritur itaque primo; Quanam
etas requiratur in contrahentibus spon-
salia?

Respondeo, jure naturæ requiri, ut
contrahentes habeant usum rationis;
jure vero canonico, ut habeant saltem
septennium, quando solet perfectus
usus rationis regulariter advenire.

II. Dubium est primo; Au validâ
sint sponsalia, si paulo ante septen-
nium celebrentur, verbi gratia, octo,
vel decem dies ante; cum in jure pa-
rum, & nihil aquiparentur; & ex
Aristot. i. physicor., quod parum di-
stat, nihil distare videatur.

Respondeo cum Sanch., Con., &
alii communiter contra Sot., & Henr.,
esse invalida, nisi malitia suppleat a-
tatem, (ut mox dicen) seu nisi per-
fectus usus rationis ante septennium
habeatur. Ratio est, quia terminus a
Jure præscriptus consilit in indivisibili,
nec in tali casu parum reputatur pro
nihilo: Unde professio religiosa ante
decimum sextum annum est invalida;
Et idem dicas de anno Novitiatu.
Sanch. tamen docet, sufficere, quod ultima dies septennii sit incepta, &
nondum completa, & hoc favore ma-
trimonii. Etenim non minus est favora-
bile matrimonium, quam testamentum;
sed ad testamentum, in quo re-
quiruntur quatuordecim anni comple-
ti, sufficit, si ultima dies sit incepta,
ex leg. *Qya etate de Testamentis;* Er-
go etiam sufficit ad matrimonium, &
sponsalia: Non tamen in professione
religiosa, aut in anno novitiatu,
quem a momento ad momentum vult
computari Trident. sess. 15. cap. 15.
Et disparitas est, quia sponsalia, Te-
stamentum, & Matrimonium sunt
magis favorabilia, quam Professio re-
ligiosa; cum natura magis ad illa,
quam ad hanc inclinet.

III. Adverte tamen, quod sponsalia
ex defectu atra-
tis, vel usus rationis
in-

invalida possint postea fieri valida, si expresse, vel tacite a sponsis ratificantur, postquam noverint, quod fuerint nulla; Nam si id nesciant, non revalidantur per ratificationem; sicut nec Professio religiosa, aut votum; Ratificatio enim procederet ex errore, & non præsumitur voluntas se obligandi absolute in ratilicante, sed conditionate, si scilicet antea fuerint invalida sponsalia contrafacta; Nisi tamen expresse velit se obligare, etiamsi priora sponsalia fuissent nulla. Ratificantur autem sponsalia, vel consentiendo de novo, vel simul habitando, aut more sponsorum osculando, vel mittendo munera.

IV. Dubium est secundo; An valida sint sponsalia ante septennium celebrata, si malitia supplet ætatem, seu si usus rationis perfectus ante septennium habeatur.

Respondeo cum Sanch. disp. 16., Rebel., Laym., & aliis communius ex D. Th. affirmative contra Hurtad. disp. 1. diff. 4., & alios. Ratio est, quia validum est matrimonium ante ætatem præscriptam contractum, si malitia supplet ætatem, hoc est si potentia generandi, quam jus requirit ad valorem matrimonii, habeatur in viro ante decimum quartum, & in feminina ante duodecimum annum, ut habetur in Cap. de Illis, & in cap. ult. de despensatione impuberum in 6.; atqui sponsalia præcedunt matrimonium, ut via ad terminum, & ut dispositio ad formam; ergo quavis in jure solum definitur, quod matrimonium ante præscriptam ætatem sit validum, si malitia supplet ætatem; idem tamen etiam dicendum de sponsalibus.

Confirmatur; nam ideo jus præscribit septennium ad valorem sponsalium, quia requirit in contrahentibus plenum usum rationis, qui tali tempore solet haberi; ergo si par-

sus rationis in aliquo vel naturaliter, vel supernaturaliter habeatur ante septennium, valida erunt pariter ejus sponsalia: Sicut ex opposito erunt invalida, si post septennium aliquis adhuc careret usu rationis; quamvis, adveniente deinde usu rationis, possent illa expresse, vel tacite ratificari. & sic fieri valida, ut notavimus.

Neque dicas primo cum Hurt. Ubi ætas præscribitur a jure, præveniri nequit, ut constat in professione religiosa, quæ invalida est ante ætatem præscriptam, etiamsi eadem plena liberatio habeatur in aliquo ante decimum sextum annum, ac soleat in aliis post decimum sextum haberi; Ergo etiam in calu nostro.

Nam distinguo antecedens. Quando jus præscribens certum tempus nihil excipit, ut in casu adducto professionis, concedo; quando vero jus expresse, vel tacite excipit, nego antecedens, & consequentiam; Cum enim in jure præscribente ætatem matrimonii, & sponsalium expresse definitur, matrimonium esse validum ante ætatem præscriptam, si malitia supplet ætatem, consequenter idem implice definit in sponsalibus. Præterquamquod ex ipso jure indicante finem legis hoc manifeste colligitur; etenim attendendus potius est finis, qui est anima legis, quam verba, ex Cap. penult. de Reg. juris in 6. Adeo, quod si matrimonium, cum sit indissolubile, est validum, quando malitia supplet ætatem, a fortiori sponsalia inter impuberis, quæ sunt dissolubilia, per hoc scilicet, quod alter, pubertatem adeptus, reclamat.

Neque dicas secundo; Idem judicandum est in foro interno, ac in externo; atqui in foro externo censentur invalida sponsalia ante septennium contracta, etiamsi malitia supplet ætatem; ergo etiam in foro interno.

Nam distinguo majorem. Quando forum exterius nititur in falsa præsumptione, ut in casu nostro, nego majorem; quando non nititur in falsa præsumptione, concedo majorem, minorem, & nego consequentiam; præsumptio enim cessat, & cedit veritati, quando constat adesse usum rationis.

V. Dubium est tertio; An possint parentes, aut tutores contrahere sponsalia pro filiis, aut pupillis, qui nondum ad septennium pervenerunt?

Respondeo, posse ex gravi necessitate; ut constat ex cap. *Infantes de Desponsat. impuberum in 6.*, quamvis debeat deinde ratificari expresso consensu a filiis, quando ad usum rationis pervenerint; qui tamen consensus in foro externo præsumitur adesse, si filii taceant, & non contradicant, cum septennium compleverint.

VI. Porro quod attinet ad impedimenta contrahentium sponsalia, indubitatum est, debere illos carere omni impedimento perpetuo ad matrimonium non solum dirimenter, sed etiam impeditente; ut est votum simplex castitatis. Et ratio est, quia nemo potest se obligare ad matrimonium, quod licite contrahere non potest; nulla enim promissio rei illicitæ obligat: Si tamen impedimentum esset tantum temporale, licita sunt sponsalia; ut inter impuberem. Quod si quis habens impedimentum perpetuum promittat matrimonium sub conditione, quod obtineatur dispensatio, valida est promissio; sed donec impleatur conditio, non habet vim sponsalium; cum hæc constituantur per promissionem absolutam. Adverso demum, dici impeditos ad valide contrahenda sponsalia, qui sunt ceci simuli, ac surdi, & muti, ut notat Sanch. disp. 8. num. 30., quia qui omnibus his defectibus laborant, nequeunt scire naturam, & finem con-

tractus, ac modum contrahendi.

Quæritur nunc secundo; Si habens votum castitatis, vel non nubendi, vel Religionis, &c. (quod impedit matrimonium, & consequenter reddit irrita sponsalia) promitterat fœminæ honestæ matrimonium sub conditione copulæ, & hæc obtineatur, teneturne ille servare votum, an vero eam ducere?

Respondeo, Sanch. lib. 1. disp. 45., Vasq., & alios existimare, quod tenetur illam ducere, quia obligatio justitia fortior est, quam obligatio voti; cum nemo possit retinere, vel usurpare alienum, ut satisfaciat voto: Unde si Petrus, verbi gratia, voeat dare elemosynam, & postea alteri inferat damnum, nec possit utrique obligationi satisfacere, tenetur damnum compensare, & non dare elemosynam, quamvis prius sub voto promissam. Basilius tamen Pontius docet, in tali casu debere virum petere dispensationem voti, si aliter non possit damnum compensare. Demum Perez disp. 5. sect. 1. putat, debere simpliciter matrimonium contrahere, quando non potest alia via compensare damnum illatum; Nec teneri petere dispensationem; quia votum simpliciter in tali casu non obligaret quoad redditionem debiti, sed solum quoad petitionem, & quod mortua uxore votum absolute servetur. Addit tamen Perez, quod si possit damnum illatum fœminæ alia via compensari, puta constituendo illi dotem, &c. possit in tali casu vir ad libitum vel servare votum, vel illam ducere: Potest quidem servare votum contra sententiam Sanch., & Vasq., eo quod non tenetur eam ducere, nec ratione danni illati, cum possit huic alia via satisfacere, nec ratione promissionis, utpote rei illicitæ, posito quod habebat votum castitatis: Ex alia parte potest ad libitum illam ducere, quia

v0-

votum illud non amplius obligat: Et ratio est, quia universum votum non obligat, quando res promissa fit notabiliter gravior, & durior, quam erat tempore, quo fuit factum votum; non enim habuit tunc intentionem se obligandi ad rem illam, nisi prout erat; & si prævidisset, eam evasuram longe duriorem, non emisisset votum: atque in casu nostro castitas promissa facta est notabiliter gravior; nam si servaretur castitas, deberet cum magno impendio pecunia constitui dos feminæ corruptæ; ad quod non se obligasset vovens, si id prævidisset; ergo non tenetur votum servare, & cum magno incommmodo, seu jactura rerum temporalium constituere illi dotem, sed potest illam ducere.

Neque dicas cum Hurt. disp. 1. diff. 21., tunc votum non obligare, quando res promissa evadit durior notabiliter, sed involuntarie; in casu autem nostro per culpam voluntariam castitas promissa evadit notabiliter gravior, ferens secum dispendium rerum temporalium in constituendo dotem: ergo in casu nostro votum obligat.

Nam Suar. lib. 4. de Voto cap. 19. docet, universum verum esse, quod votum non obliget, quando materia voti est adeo mutata, ut si a principio sic extitisset, homo non vovisset, sive cum culpa, sive sine culpa voventis accidat talis mutatio; Etenim culpa solum relinquit onus pœnitendi, nec efficit, ut homo teneatur ad id, quod moraliter servare non potest: Quare si gravis difficultas in re promissa adimens potentiam moralem voventis ad eam ponendam oriatur voluntarie ex propria culpa, sive oriatur involuntarie, semper tollit obligationem servandi votum.

VII. Quæritur tertio; An notabilis disparitas inter contrahentes sit impedimentum ad valorem sponsalium?

Respondeo, si contrahentes ne- sciant notabilem hanc status, & conditionis disparitatem, contractum esse irritum; ut est certum: Si vero sint conscientes, censeo cum Sanch., Molin., & aliis apud Perez, & Dia- nam part. 9. tract. 7. resol. 71., spon- salia esse valida, nisi magnum scandalum ex iis oriatur. Probatur, tum ex praxi Ecclesiæ cogentis servare si- dem talium sponsalium; tum quia quando contrahens est sui juris, & videt disparitatem, & excessum, & tamen contrahit, censetur liberaliter donare excessum illum.

Confirmatur, quia prodiga promis- sio, quamvis non vacet culpa, si ta- men est acceptata, obligat. Et ratio est, quia ipsa largitio prodiga (quæ est executio promissionis) tum solum est actus illicitus, quando qui prodi- ge largitur, non est obligatus ad ta- lem largitionem; at postquam ad il- lam vel promissione, vel juramen- to se obligavit, est adimpleti debiti jam contracti, & consequenter est a- ctus honestus fidelitatis, aut justitiae, vel Religionis: Ergo pariter in casu nostro, quamvis peccaverit puella no- bilis prodige promittendo matrimo- nium plebejo contra voluntatem pa- rentum; at si non sequatur grave scan- dalum, tenetur ad matrimonium pro- missum: Multa enim cum culpa, & imprudenter promittuntur, quæ deinde executioni mandanda sunt, ut con- stat ex communi omnium sententia in casu, quo quis promittat alteri pre- sumptum propter malum patrandum, verbi gratia, propter homicidium, vel fornicationem; certe talis promissio est illicita, utpote provocans ad ma- lum; at post peccatum patratum obli- gat in conscientia, quia tunc adim- pletio promissionis est licita, & actus honestus fidelitatis. Quare sicuti dare presumptum sicario pro homicidio pa- trando est actus illicitus, si non præ- cessit-

72

cesserit promissio illicita; est vero actus licitus, & debitus, si præcessit illicita promissio, & executio homicidii; ita pariter in casu nostro matrimonium inter notabiliter dispare cum offensione parentum est actus illicitus, si promissio illicita non præcesserit; secus vero, si ea præcessit; unde fit, hujusmodi sponsalia illicita quidem esse, sed valida.

Dixi tamen, nisi magnum scandolum subhoriat, seu timor probabilis pessimi exitus, & odii capitalis inter contrahentes, aut inter consanguineos. Et ratio est, quia virtus justitiae non obligat ad actum peccaminosum; atqui actus peccaminosus est contrahere matrimonium cum magno scando, quando scilicet notabiliter luditur charitas proximi, & cognatorum amicitia dissolvitur: ergo sponsalia in tali casu non obligant ex justitia ad contrahendum matrimonium, atque adeo sunt irrita.

VIII. Oppones: Qui prodige promittit meretrici pro usu corporis magnum pretium, non tenetur stare promissis, ut docet Sot. lib. 4. de Just. quæst. 7. Salon., & alii; ergo neque puella nobilis prodige promittens matrimonium plebejo.

Confirmatur, quia, quando in contractu est notabilis inæqualitas pretii, nemo obligatur ad illud solvendum; si enim offeram pro pretio unius panis centum aureos, non teneor solvere, nisi justum pretium; Ergo neque tenetur ad matrimonium cum plebejo puella nobilis, quamvis illud promiserit.

Respondeo, nego utriusque argumenti consequentias. Disparitas est, quia in utroque casu nemo censetur liberaliter donare excessum, cum velit solum in pretium offerre id, quod offert, quod si vellet liberaliter dare, et si peccaret, offerendo prodige, non tamen peccaret adimplendo promis-

sum, sed ad illud, ut diximus, tenetur: At in casu nostro matrimonium, quod promittitur prodige, cum non offeratur in pretium, censetur liberaliter offerri, donando excessum; ergo quamvis peccet puella nobilis prodige promittendo matrimonium plebejo, tenetur tamen stare promis.

ARTICULUS VI.

De Obligatione, que consurgit ex Sponsalibus.

- I. Sponsalia obligant ad abstinentiam a Sacris Ordinibus, non tamen a ingressu in Religionem. Qui uamen post illa Sacros Ordines fecerit, tenetur damnum reparare.
- II. Num possint Sponsalia presso dicta contrahendi cum mutua obligatione sub levi?
- III. Num uovens, aut jurans possit sub levi se obligare in quacumque materia?
- IV. Juramentum de patrando peccato levi num sit culpa gravis?
- V. Num promissio matrimonii gravia ex sola fidelitate obliget sub gratia?
- VI. In quo differat obligatio ex iniustitia ab obligatione gravi ex fiducitate?
- VII. Num Sponsi, si fornicentur, appetire debeant in confessione, quod Sponsalia contraxerint, quatenus injuriam alteri sponso irrogari?
- VIII. An possit in contractu Sponsalia aponi pena luenda a resilienti?
- IX. Sponsus jurans se solutum penam, si resiliet, num vi juramenti ad illam teneatur, si juste resiliet?
- X. Num licite in Sponsalibus arrhe apponantur?
- XI. Possitne Sponsalibus addi pactum habitandi in aliquo determinato loco?

I. Cer-

I. Certeum est primo, Sponsalia directe obligare ad matrimonium contrahendum, nisi rationabilis causa excusat; ac proinde obligant ad abstinentiam ab omnibus iis, quae matrimonium impediunt, puta a suspicione Ordinis Sacri; non tamen ab ingressu Religionis, quod a jure conceditur.

Certum est secundo, obligationi Sponsalium, quam diximus esse ex iustitia, non posse pecunia, aut alia via satisfieri, quam per matrimonium; cum numeretur inter obligationes faciens, quae tum jure naturali, tum positivo dicuntur obligationes præcise, quibus scilicet non potest promissor, invito promisario, per premium satisfacere. Unde sit, ut qui post prima Sponsalia cum Berta contraxit secunda cum Teresia, interponendo in secundis jusjurandum, non solum peccarit, sed etiam teneatur ad servanda prima Sponsalia; Juramentum enim præstatum in secundis non potest esse vinculum iniquitatis. Quod si post Sponsalia contracta suscipiat quis Ordines Sacros, vel matrimonium cum alia contrahat, peccat quidem, sed cum non possit amplius Sponsalia servare, tunc teneatur pretio, vel alia via satisfacere.

Certum est tertio, quod si præfigatur dies matrimonio contrahendo, ille servandus sit, nisi postea aliter convenienter; Si vero nullus dies præfigatur, debent nuptiae contrahi data proxima occasione, ex regula 14. ff. de Regulis juris, ubi dicitur: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, presenti die debetur; cum haec videatur esse intentio bona fide contrahentium.* Quod si pars sponte dilationem concedat, potest differri: Præsumitur autem dilationem concedere, si, cum facile possit, non urget impletionem promissionis; Sicuti creditor potens facile debitum petere,

& non petens censetur dilationi consentire: Secus accedit, si ob metum, vel oblivionem, vel ob desperationem profectus, cessaret promissa, vel debitum exigere. Discutienda nunc sunt aliqua de intrinseca obligatione Sponsalium; que scilicet oritur ab ipsa eorum natura: Alia etiam de extrinseca obligatione conventionali; que scilicet oritur ex speciali pacto inter contrahentes.

II. Quæritur itaque primo; An possint Sponsalia obligare tantum sub ve- niali ex intentione contrahentium no- lentium invicem obligare se sub gravi?

Respondeo, tres esse Sententias. Prima Sanch. lib. 1. disp. 9. affirmat; Sicut enim votum potest ex voventis intentione obligare tantum sub levi, ita etiam mutua promissio matrimoni; siquidem promissio est quadam lex, quam sibi met promittens, vel vo- vens imponit; atque adeo pender ejus obligatio a promittentis, tamquam a Legislatoris intentione, qui potest etiam in materia gravi obligare sub levi.

Secunda sententia communior cum Vasq., Suar., Con., Perez disp. 6. sect. 3. negat; quia omnis obligatio ex iustitia in materia gravi est obligatio sub gravi; sed obligatio Sponsalium est ex iustitia commutativa, cum habeatur ex mutuo contractu onero- so, Do, ut des; & est in materia gravi; ergo obligatio Sponsalium semper est sub gravi.

Tertia sententia Hurt. disp. 1. dif- ficult. 6. docet, regulariter Sponsalia obligare sub gravi ob rationem secundæ sententiae: Sitamen velint contrahentes obligare se ex fidilitate, vide- licet promittendo invicem matrimonium, sed liberaliter, & gratis, non vero cum onere, ut alter repromittat, in tali casu Sponsalia obligare tan- tum sub levi; Ratio est, quia fideli- tas

tas universim (ut fert communior opinio) obligat tantum sub levi; Nam fidelitas obligat ad conformanda facta dictis, non secus ac veracitas obligat ad confirmanda dicta menti; sed veracitas obligat universim sub levi: ergo etiam fidelitas. Verum tamen est, Less. de justitia cap. 18., Navar., Sot., & alios existimare, quamcumque promissionem rei gravis ferio factam, sive Deo, sive etiam homini obligare sub mortali: Sicut ex omni juramento consurgit obligatio sub gravi, quin possit jurans obligari tantum sub levi.

Equidem existimo cum Perez, esse quidem in potestate promittentis, vel voventis obligare se circa rem gravem tantum sub veniali, quando obligatio pendet præcise a privata hominum voluntate; Verbi gratia, potest quis vovere jejunium, obligando se ad illud sub levi, sicut potest legislator obligare ad jejunium sub levi: Contra vero non esse sub potestate promittentis, vel voventis, obligare se circa rem gravem sub veniali, quando talis promissio, seu Votum ex Ecclesiæ constitutione, vel ex lege Reipublicæ, vel ex consuetudine obligat sub mortali: Exempli gratia, non potest quis emittere vota solemnia Religionis cum intentione obligandi se ad illa sub veniali: cum ex Ecclesiæ constitutione talia vota obligent sub mortali: Nec potest quis matrimonium contrahere obligando se tantum sub veniali ad vinculum illud indissolubile, & ad prolis propagationem, & bonam educationem; cum ex Ecclesiæ institutione, & ex consuetudine talis obligatio sit gravis: Hoc etiam accidit in Sponsalibus, quæ pariter ex Ecclesiæ institutione, & ex consuetudine obligant sub gravi; nam cum ex iis oriatur impedimentum dirimens publicæ honestatis, quod obligat sub mortali, ne matri-

monium contrahatur a Sponso cum sorore Sponsæ, aut a Sponsa cum fratre Sponsi, signum est, quod ipsa sponsalia ex Ecclesiæ institutione obligant sub mortali; & consequenter non est in potestate contrahentium sponsalia, quod obligent se ad matrimonium sub levi. Unde etiam fit contra tertiam sententiam Hurt., non posse contrahi sponsalia rigorose dicta cum intentione obligandi se tantum ex fidelitate; siquidem ex institutione Ecclesiæ, & ex consuetudine obligant ex justitia.

III. Circa juramentum tamen diversa est ratio, ac de Voto, & promissione; nam juramentum hoc, verbi gratia, quod est promissorium, Testor Deum me tibi hoc daturum, tria significat; Primo, me habere voluntatem dandi; Secundo, velle me ad id obligare; Tertio, me daturum. Conveniunt Doctores, quod peccat mortaliter mentiendo, & adhibendo Deum in testem falsi, qui aut de facto non habet voluntatem dandi, aut non habet voluntatem obligandi se ad dandum. Dubitatut solum; An dicatur assertive illud tertium? quod scilicet sim datus, ita ut si postea non dem, mentitus sim adhibendo Deum in testem falsi, atque adeo peccarin mortaliter, quantumcumque sit parva res illa danda; Sicut procul dubio peccat mortaliter, qui rem levissimum falso juratus afferit. Quare nonnulli Doctores docent, promissionem juratam rei parvæ obligare sub mortali: Alii vero communius docent, obligare tantum sub levi, eo quod illud tertium, quod scilicet sim datus, non dicatur assertive, sed tantum ad illud dandum velit jurans se obligare, non secus ac vovens. Unde ex paritate materiae excusatur a mortali, tam qui rem parvam promisit homini cum juramento, quam qui rem parvam vovit Deo.

Cen-

Censeo equidem cum Con. disp. 22. dub. 7., juramentum promissioni additum adhiberi solum ad vocandum Deum in testem præsentis voluntatis, qua promittens intendit se obligare ad ponendam rem promissam, & vel le Deum ultorem perfidia, si fidem datum fallat; ut sic reverentia Numinis, & timor ultiōnis moveat illum ad promissa implenda: Non vocatur autem Deus in testem illius tertiae veritatis, quod scilicet promittens sit promissa impleturus; Unde in re levi non implens promissa jurata excusat a mortali, cum non sit magna Dei irreverentia; non secus ac qui in re levi non implet votum.

Ex dictis sequitur primo, quod non implens quæcumque promisit juratus, non sit proprie mendax, sed perfidus; & instanti vulgo dici solet, quod mentitus sit, quatenus suo facto veluti ostendit se perfide jurasse sine animo implendi promissa. Ratio doctrinæ est, quia si jurans diceret assertive, quod sit datus, vocando Deum in testem, sequeretur, quod peccaret mortaliter, etiam quando juraret, se facturum rem aliquam indifferentem, (verbi gratia, le mansum domi) si illam non poneret, quia faceret Deum testem falsi; cum tamen omnes doceant, neminem ex juramento obligari ad rem indifferentem; Et idem dicas, si juraret, se facturum peccatum aliquid veniale, ad quod certe ex juramento non obligatur.

Sequitur secundo, tam in voto, quam in promissione jurata requiri intentionem se obligandi, ad hoc ut in foro conscientiæ consurgat obligatio: Sicuti autem vovens rem levem non obligatur ad illam sub gravi, quia non censetur Deus promissarius graviter invitus, si ea non ponatur; ita pariter jurans, se facturum rem levem, neque obligatur sub gravi, quia

Pars VII.

non censetur pariter gravis irreverentia Dei, si non ponatur res parvum momenti, ad quam ponendam jurans se obligavit vocando Deum in testem suæ voluntatis, quam habebat, se ad id obligandi.

IV. Dubium etiam est apud Doctores; An juramentum promissorium de faciendo peccato levi, puta de mentiendo, sit peccatum leve, an grave? Turrian. docet, esse grave, & oppositam sententiam esse improbabilem; quia gravis irreverentia Deo irrogatur, dum per juramentum adducitur ut fidejussor peccati faciendi. Tanner. tamen, Sanch., Azor., & alii communius apud Dian. part. 4 tract. 4. resol. 360. docent, probabile esse, quod sit tantum veniale, eo quod ratione parvitatis materiae irreverentia non censetur gravis: Et idem docent de voto faciendi peccatum leve. Utrum autem sit pariter irreverentia levis, & culpa solum venialis juramentum superaddere mendacio levi joco, aut officioso, sine animo tamen jurandi, sed solum orenatus jurando? Suar. lib. 3. de juramento cap. 17. n. 4. dicit non inventisse id ab aliis disputatum. Alicui viseri posset, quod ob levitatem materiae tale juramentum externum non effet culpa mortalitatis; ut habet ibidem Suarini n. 9. sed Verricelli docet esse mortale, ut fuisimus diximus in Trutina exponendo thesim 25. ab Innoc. XI. confixam, quæ habet: *Cum causa licetum est jurare sine animo jurandi, si ve res sit levis, sive gravis.*

V. Quaritur secundo; An sponsalia acceptata gratuita, quamvis non sint rigorose Sponsalia, obligent tamen sub mortali? Et universim quaritur, An promissio rei gravis facta Deo, vel homini obliget sub mortali ex sola fideliitate per se loquendo? Esto per accidens aliquando graviter obliget; Verbi gratia, si promisisti alicui centum,

D &

& ille fidens tuis promissis non quevit ea aliunde, & idcirco grave damnum subit, si non impleas promissa; Aut si promisisti Matrimonium Bertæ, quæ eatenus omisit alium conjugem querere; unde hic, & nunc cum gravi incommodo Sponsum non reperit.

Respondeo cum distinctione: Si promittens vult se obligare ad rem gravem promissam tantum ex quadam honestate confirmandi dicta factis, obligatur tantum sub veniali; quia in tali casu non habetur vera promissio conferens ullum jus promissario, sed veluti quoddam propositum. At vero obligatur sub mortali, si promittens vult rem gravem vere promittere, conferendo promissario jus ad illam; non quidem jus strictum justitiae, quod consurgit ex contractu oneroso dantis, ut detur; sed jus minus strictum consurgens ex contractu non oneroso, sed gratuito dantis, quamvis nihil in compensationem detur: Ratione enim talis juris injuria fit promissario, si non detur res promissa, quam vere dicit sibi deberi, ita ut possit illam exigere, & condonare, & possit etiam in foro externo agere ad illam habendam, si accedit stipulatio, ex qua præsumitur, promissionem factam esse cum plena deliberatione.

VI. In hoc autem differt obligatio sub mortali ex justitia ab obligatione gravi ex fidelitate, ut notat Less. cap. 18. dub. 8., quod obligatus ex justitia non solum obligetur ad damnum emergens, sed etiam ad lucrum cef-sans, si non satisfaciat. Contra vero obligatus ex fidelitate, nisi ad id exprefse se obliget. Præterea obligatio ex justitia dat jus in re, ita ut Creditor, ubicumque illam reperit, possit sibi accipere: Contra tamen obligatio ex fidelitate dat solum jus ad rem; unde si promittens illam, verbi gratia, vendiderit, non possit Promissario

rius rem illam sibi accipere, sed solum habeat jus contra promittentem, ut det sibi aliquid equivalentem. Ita communiter cum Con. disp. 22. dub. 6., Sanch. li. 1. disp. 5., Suar., Navar. contra Cajet., Molin., Rebel., & a-rios apud Dianam part. 4. tract. 4 resol. 122.; qui putant promissionem nudam, & gratuitam obligare tantum sub veniali.

Ex dictis sequitur, Votum in re gravi universim obligare sub mortali; & in eo tantum casu posse obligare sub veniali, quando non tam habetur promissio facta Deo, quam propositum faciendi aliquid, ad quod non ex fidelitate, sed ex quadam honestate velit exprefse homo se obligare; Nam, si esset vera promissio, conferret Deo jus, & consequenter, si non adimpleretur promissio, gravis injuria irrogaretur Deo, unde esset peccatum mortale.

VII. Quæritur tertio; An sponsalia obligent ad abstinentiam a fornicatione, ne specialis malitia contrahatur aperienda in Confessione?

Respondeo, certum esse, fornicationem Sponsi non esse adulterium, hoc enim est alieni tori violatio; Sponsi autem torum non habent; eorumque filii, quamvis non sint legitimi, sunt tamen naturales, & non spurii; Siquidem solum impedimentum dirimens matrimonium inter parentes facit filios spurios. Utrum autem fornicatio Sponsi, præter peccatum luxuria contra castitatem, contineat etiam peccatum injusticia contra jus quod habet Sponsa, non quidem in corpus, sed ad corpus Sponsi? Dubium est apud Doctores.

Prima sententia negat cum Henr., Mœrat., & aliis apud Perez; quia talis fornicatio est usus corporis, quod adhuc non est alienum; per Sponsalia enim habetur tantum jus ad acquirendum dominium in corpus alterius,

rius, quod jus non violatur per fornicationem: Sicuti qui post votum ingrediendi Religionem ante ingressum fornicatur, non violat jus Religionis: quia per tale votum promittitur tantum professio, non secus ac per Sponsalia promittitur matrimonium.

Secunda sententia affirmat cum Rebellio, Con., & aliis, quia talis est injuria, quæ alteri sponso per fornicationem irrogatur, ut per illam licite possit dissolvere Sponsalia: sicuti autem sola injuria gravis potest esse sufficiens ad dissolvendam amicitiam, ita a fortiori ad dissolvenda Sponsalia.

Tertia sententia distinguit cum Molin., & Sanch. lib. I. disp. 2., Concedit quidem contineri malitiam luxuriæ, & iniustitiae in fornicatione Sponsæ; negat vero in fornicatione Sponsi. Disparitas est, quia solum Sponsa per fornicationem redditur longe vilior in estimatione hominum, ut nemo honestus velit illam amplius in conjugem; unde gravis injuria irrogatur Sponso.

Quarta demum sententia cum Perez aliter distinguit; Negat enim, continere iniustitiam, si fornicatio sine sponsi, sine sponsa sit occulta, per quam nullo pacto redduntur inepti ad matrimonium; Siquidem per sponsalia tantum obligantur invicem, ut non reddantur inepti ad matrimonium, quod promittunt: Sicuti qui vovet Religionem, tantum obligatur ad non reddendum se ineptum ad illam; & quia per fornicationem non redditur ineptus, ideo fornicatio habentis votum Religionis non continent iniustitiam: Contra vero, si fornicatio sit publica, utpote inurens notam, & reddens sponsos ineptos ad matrimonium promissum, continent malitiam iniustitiae aperiendæ in Confessione. Hæc sententia videtur probabilior.

VIII. Porro, quia solent aliquando Sponsi convenire de poena solvenda ab eo, qui a Sponsalibus resiliret; necnon de reddendis arrhis, aut de habitando in loco determinato; ideo de hac obligatione, quæ ratione conventionis consurgit in Sponsalibus, hic pariter agendum.

Quæritur itaque quarto; An possit in contractu Sponsalium apponi poena aliqua pecuniaria solvenda a resiliente?

Respondeo cum communiori, posse apponi poenam solvendam a resiliente iniuste, non vero a resiliente juste.

Prima pars, quam docent Suar., Mol., Con. contra Dicast. dub. 26. & alios apud Sanch. disp. 30. num. 3., probatur; quia nullo jure id prohibetur: Prohibent quidem Jura, quod non apponatur poena solvenda a resiliente juste, ne iudicatur libertas matrimonii; At in casu nostro non iudicatur libertas matrimonii, cum nemo liber sit ad iniuste resilendum a contractu Sponsalium: ergo jura non adversantur nostræ doctrine. Præterim quia potest ferri excommunicatione major contra iniuste resilientem absque lesione libertatis matrimonii.

Secunda pars constat ex cap. *Gemma de Sponsalibus*, & ex leg. *Titio de Verborum obligationibus*, ubi dicuntur hujusmodi stipulationes non obligare, quia matrimonia debent esse libera: Immo decernitur, quod contractui Sponsalium non solum non adjiciatur poena solvenda a Sponsis, sed nec a parentibus, propinquis, amicis; solum itaque apponi possit ab extraneis non impedientibus libertatem matrimonii: Si tamen a Sponsis apponneretur, puto, quod solum veniam peccarent; quia cum non detur deinde obligatio solvendi talem poenam, non tolleretur libertas matrimonii.

Dubium est primo; An si juramento confirmarent Sponsi contractum hunc de pœna solvenda a resiliente juste, obligarentur deinde illam solvere ex vi juramenti?

Putat Con. dub. 5. cum Lest., quod obligarentur; Nam sicuti qui juravit solvere pecuniam creditam perditam ludo prohibito, teneretur illam solvere vi juramenti, quamvis lege civili solvere non teneatur; ita pariter in casu nostro. Ratio a priori est, quia quoties aliquid prohibetur, primario in bonum privatum, secundario in bonum publicum, potest quis juramento ad id obligari, si non sit intrinsece malum, ex Sanch. lib. 1. disp. 32.; Nec solutio pœnæ in tali casu est approbatio contractus prohibiti; sicuti neque qui solvit sicario promissa, cenetur approbare promissionem illicitam.

Verum probabilius negat Sanch. loc. citat., quia Juramentum non obligat ad rem illicitam, & prohibitam; culpa enim saltem venialis est solvere talēm pœnam, tamquam debitam; cum hoc cedat in præjudicium libertatis, & boni publici: Ad eum modum quo si Clericus juraret fistere se Judicii seculari, non teneretur vi juramenti; quia hoc cederet in præjudicium status Clericalis.

Confirmatur, quia si Nepotes jurent dividere inter se hæreditatem, mortuo Avo, juramentum non obligat; irritatur enim tale pactum etiam juratum a legibus, ne detur ansa captandæ mortis Avo; ut videre est apud Tambur. lib. 3. Decalogi cap. 3. §. 5.: ergo etiam juramentum de solvenda pœna apposita contractui Sponsalium non obligat, ne tollatur libertas matrimonii; facile enim fieret matrimonium invite, ne solvatur pœna debita ex juramento: hoc tamen non accidit in jurante solvere pecuniam creditam perditam ludo prohibito,

& ideo vi juramenti tenetur illam solvere.

Dubitatur secundo; Utrum quando non obligatus ex contractu solvere pœnam, aut pecuniam adhuc veller eam solvere aut libere, aut vi jure, tunc recipiens teneatur ad restitutionem?

Respondeo cum communi, quod non teneatur, nisi juridice ad restituionem compellatur. Ratio est, quia jure naturæ talis contractus valet, & solum leges civiles tollunt obligationem solvendi; Et idcirco qui pecuniam creditam ludo prohibito perdit, non tenetur solvere, sed recipiens non tenetur restituere, nisi a Judice compellatur. Ex quo fit, quod qui sine obligatione solvit, non possit ante sententiam Judicis per occultam compensationem pecuniam illam accipere, ut notat Tambur. lib. 8. Decalogi tract. 2. cap. 9., Perez disp. 7. sect. 1.

Demum notandum cum Con., quod solum pœna rigorose dicta solvenda a resiliente juste non possit adjici contractui Sponsalium, possit tamen licetrum aliquod desperdi a resiliente: Verbi gratia, si quis donet centum Titio, dummodo Berta nubat, si Titius a Sponsalibus cum Berta julie resilit, non acquirit illa centum.

X. Quæritur quinto; An arrha licite apponantur in Sponsalibus?

Ante responsionem advero, nomine Arrhae venire aliquando donationem, quam Vir facit Uxori in donis præmium; aliquando vero donationem propter nuptias: At in quantum praesenti nomine Arrhae venit arrha Sponsalitia, quæ est quoddam pignus contractus initii, quod alter contrahentium dat alteri in asecuracionem; ita ut illud amittat, si ipse injuste resiliat a contractu, vel sibi restituatur simul cum valore ejusdem, si alter iniuste resiliat; si vero contractus compleatur, redeat tale pignus

el.

ei, qui dedit: Sicut etiam redire debet, si iuste alter a contractu resiliat. Porro, ut habeat nomen arrhae, & non poenae conventionalis, debet de facto tradi ante completum contratum, nec satis est ipsum promittere.

Porro differt Arrha a Sponsalitiae largitate; haec enim est donum, quod datur sub conditione, quod matrimonium sequatur, & dici etiam solet Joculum donatio ante nuptias, Donum Sponsalitium, Dotalitium, Mundus muliebris. Hoc donum redit ad largientem, si ex iusta causa matrimonium non sequatur. Si tamen Sponsa osculum, vel copulam passa fuerit, illius doni medium partem acquirit, etiamsi iusta causa detur non contrahendi matrimonium; Post consummationem vero matrimonii Sponsa acquirit ejus doni dominium; sicut etiam si sine iusta causa Sponsus resiliat. His explicatis

Respondeo ad quæsumus, Arrhas posse valide ab utroque contrahente constitui. Ratio est, quia sicut possunt contractui Sponsalium apponi pœna solvenda ab iuste resiliente, ut modo diximus; ita possunt apponi arrhae, quæ confirmant potius, quam minuunt libertatem matrimonii; si quidem solum iuste resiliens illas amittit: Unde fit, ut in quacumque quantitate possint constitui; quamvis in jure civili Castellæ statutum sit, quod non excedant decimam partem bonorum dantis illas. Potest etiam conveniri, ut qui arrham recipit, si iuste resiliat, reddat non solum arrham, sed etiam duplum, aut triplum ejus valorem, non amplius; qui vero illam dat, nisi iuste resiliat, tantum illam amittat: At qui sic contrahit, habere debet vigesimum quintum annum expletum, ut videre est apud Perez, & Con.

XI. Quaritur ultimo; An possit Sponsalibus adjici pactum habitandi

in aliquo determinato loco, vel aliud simile?

Respondeo cum communi affirmative: Verbi gratia, potest Sponsa promittere matrimonium cum pacto, ne cogatur a sua domo, vel Civitate discedere; vel cum pacto, ne in aliquam unquam Civitatem accedant, ubi sunt, verbi gratia, occisores alicuius consanguinei. Ratio est, quia nullo jure haec pacta irritantur, nec prohibentur; ergo valida, & licita sunt: Si tamen nova causa superveniat mutandi, verbi gratia, domicilium, tunc etiamsi pactum sit juramento firmatum, non obligat, & mulier tenebitur sequi virum, ut communiter docent cum Sanch. disp. 4.

ARTICULUS VII.

De Sponsalium Effectibus.

- I. Impedimentum publica honestatis ex Sponsalibus ortum quid ferat?
- II. Non oritur nunc post Tridentinum ex Sponsalibus invalidis, neque ex incertis, neque ex conditionatis.
- III. Qualiter illud ex matrimonio ratio riatur? Et an, si matrimonium sit invalidum ex defectu consensus?
- IV. Si Sponsalia mutuo dissensu dissolvantur, adhuc remanet hoc impedimentum.
- V. Matrimonium clandestinum probabilitus habet vim Sponsalium post Tridentinum, & ideo parit hoc impedimentum.
- VI. Sponsis permittuntur tactus non impudici, & oscula, dummodo absit periculum consensus in delectationem venereum de copula futura.
- VII. Tactus non impudici, & oscula eodem modo sunt veritas solensis, ac viduis. Solum permittuntur Sponsis citra periculum consensus in delectationem libidinosam, in signum muni

tui amoris. Conjugibus non vetatur sub gravi delectatio carnalis in absencia alterius conjugis circa periculum pollutionis.

I. **E**ffectus Sponsalium alter est intrinsecus, & ex ipsa Sponsalium natura resultans; alter extrinsecus, resultans vi juris Ecclesiastici: Quod attinet ad priorem effectum, cum aliud non sit, quam ipsa obligatio gravis ad matrimonium ineundum, nihil est superaddendum ad ea, quæ hac de re diximus articulo superiore. Posterior autem effectus est triplex. Primus est impedimentum publicæ honestatis; Alter est, sponsalia transire in matrimonium per copulam, ubi non viget Tridentinum. Tertius denique, licita esse Sponsis de futuro oscula, amplexus, & tactus non impudicos. De singulis hic agendum.

Dicitur autem impedimentum publicæ honestatis oriri ex Sponsalibus, (sicut etiam ex matrimonio rato) quia ex iis valide celebratis propter publicam honestatem, & decentiam oritur impedimentum dirimere matrimonium cum consanguineis alterius Sponsi in primo gradu tantum, jure novo Trident. sess. 22. cap. 3.; quamvis olim jure antiquo extendebatur ad quartum gradum: Nunc itaque Titius contrahens Sponsalia cum Berta non potest valide matrimonium contrahere cum Sorore, filia, aut matre Bertæ, propter impedimentum publicæ honestatis.

II. Ex quibus fit primo, non oriens tale impedimentum ex Sponsalibus celebratis a Titio, dum erat infidelis; cum hoc impedimentum sit Ecclesiasticum, & infideles non sint subditi Ecclesiæ.

Secundo, non oriri ex Sponsalibus invalidis; quamvis jure antiquo oriretur etiam ex invalidis, dummodo non invalidis ex defectu consensu.

Tertio, nec ex Sponsalibus celebratis cum persona incerta, ex Cap. unico de Sponsalibus; cum ea non sint Sponsalia rigorose dicta.

Quarto, neque ex Sponsalibus conditionatis, nisi purificata conditione, quando evadunt absoluta, & certa ut constat ex laud. cap. Quare si Titius contrahat cum Berta sub conditione de futuro, & ante purificationem conditionis contrahat cum Sorore Bertæ nova Sponsalia, hæc posteriora Sponsalia non obligant, quia debet expectari eventus illius conditionis; si tamen ante eventum conditionis contraheretur matrimonium cum Sorore Bertæ, illicitum esset, sed validum; quia priora Sponsalia, ipsis conditionata, non pepererunt impedimentum publicæ honestatis.

Quinto demum sequitur, quod si Titius post Sponsalia cum Berta cognoscat Sororem Bertæ, cum neque possit valide matrimonium contrahere ante dispensationem; Non quidem cum Berta, propter impedimentum affinitatis; Neque cum sorore Bertæ, propter impedimentum publicæ honestatis.

III. Præterea sciendum, hoc impedimentum publicæ honestatis oriri etiam ex matrimonio rato, ex c. Ad Audientiam de Sponsalibus; cum hoc tamen discriminare, quod Sponsalia inter Titium, & Bertam celebrata dirimant matrimonium cum eorum consanguineis solum in primo gradu; Matrimonio vero ratum dirimat usque ad quartum gradum. Præterea ex Sponsalibus quacumque ratione invalidis non oritur hoc impedimentum, ut habet Trident. sess. 2. cap. 3.; Oritur tamen ex matrimonio rato, etiam invalido, dummodo non invalido ex defectu consensu, ut communiter docent cum Bonac. quæst. 3. punct. 11. contra Navar., & Sa., ut dicemus quæst. 5. art. ult.; Etenim jus novum Tri-

Tridentini solum abstulit hoc impedimentum a Sponsalibus invalidis, etiam ex defectu consensus, non a matrimonio rato sic invalido. Utrum autem Sponsalia exterius rite celebrata, sed invalida ex defectu consensus, saltem pro foro externo pariant impedimentum publicæ honestatis? Negant communius cum Dicast. disp. 7. dub. 29. contra Sanch. disp. 68. num. 13.; qui putat, hoc impedimentum oriri etiam pro foro interno ex Sponsalibus invalidis ex defectu consensus, necnon invalidis ex quocumque alio impedimento occulto; quia quamvis Tridentinum dixerit, non oriri ex Sponsalibus quacumque ratione invalidis, videtur interpretandum, quod loquatur de Sponsalibus pro foro externo invalidis.

IV. Quæritur nunc primo; An hoc impedimentum sit perpetuum, ita ut nec per mortem alterius sponsi, nec per dissolutionem Sponsalium quomodo cumque factam tollatur?

Respondeo affirmative cum Sanch. lib. 7. disp. 68., & aliis communiter ex cap. *Si quis despousaverit 27. qnaest.* 2. contra Rebel., & Hurt. disp. 21., & alios apud Dian. part. 3. tract. 4. refol. 222.; qui putant cessare hoc impedimentum, quando mutuo consensu dissolvuntur Sponsalia. Ratio doctrina est, quia finis Ecclesiae decernentis tale impedimentum est decencia, & honestas, quæ militant tam post mortem alterius sponsi, quam post dissolutionem Sponsalium; sive dissolvantur per causam legitimam, sive mutuo consensu.

Neque dicas cum Hurt., Sponsalia mutuo consensu dissoluta ex declaratione Congregationis Cardinalium carentur invalida; Atqui Sponsalia invalida ex Tridentino non pariunt hoc impedimentum; ergo nec Sponsalia mutuo consensu dissoluta.

Nam sensus Congregationis est,

quod illa non amplius obligent; non vero, quod non fuerint initio valida: Si ergo fuerunt initio valida, & ex Sponsalibus validis tale impedimentum dignitur, jam habetur ex iis tale impedimentum, quamvis non amplius obligent: Sicut nec obligant post mortem alterius sponsi, & tamen impedimentum remanet. Quibus adde cum Bonac. loc. citat. dari de hoc novam declarationem Cardinalium.

V. Quæritur secundo; An matrimonium clandestinum inter puberes, ubi est receptum Tridentinum, æquipolleat sponsalibus, ita ut ex eo confurgat impedimentum publicæ honestatis?

Respondeo, Sanch. lib. 1. disp. 20., & Hurt. negare; Tum quia Tridentinum irritat talēm contractū, & reddit personas inhabiles ad sic contrahendum; tum etiam, quia contractus per verba de præsenti nullam continent promissionem de futuro, ne implicite quidem: atqui matrimonium clandestinum est contractus per verba de præsenti: ergo continent promissionem matrimonii de futuro; atque adeo non æquipolleat Sponsalibus, quæ per talēm promissionem consti-
tuuntur.

Affirmant tamen verius Con. disp. 21. dub. 4., Henr., Ledesm., tum ex declaratione Congregationis Cardinalium; tum etiam quia dum puberes contrahunt matrimonium clandestinum, intendant dare sibi invicem omne jus, & dominium in mutua corpora ad usum matrimonii; atque adeo non solum jus proximum, quod datur per matrimonium, sed etiam jus remotum, quod datur per sponsalia; ergo cum non possint dare jus propinquum propter legem Tridentini irritantem contractū, dant solum jus remotum, atque adeo contrahunt Sponsalia.

Ad

Ad primam rationem in contrarium adductam respondetur, Tridentinum irritare talem contractum, in quantum est matrimonium, non in quantum est sponsalia; nec reddit personas inhabiles ad sic contrahenda Sponsalia, sed matrimonium. Ad secundam negatur propter rationem adductam, quod contractus per verba de praesenti non contineat implicite promissionem de futuro, per quam sponsalia constituuntur.

Ex dictis sequitur, etiam per matrimonium celebratum inter impuberes haberi vim sponsalium, atque adeo ex eo gigni impedimentum publicæ honestatis, quod etiam concedit Sanch.; quia saltem interpretatione juris, si non ex natura rei, presumitur, eos voluisse se obligare eo modo, quo poterant, atque adeo voluisse contrahere sponsalia, cum non possint contrahere matrimonium secundum Canones Ecclesiae,

Porro ubi non est receptum Tridentinum, quod irritat matrimonium clandestinum, Sponsalia per copulam inter Sponsosecutam transeunt in matrimonium, ex cap. *Qui De Sponsalibus*, eo quod Ecclesia presumat affectu maritali, & non fornicario copulari; atque adeo animo matrimonium contrahendi.

VI. Quaritur ultimo; An licita sint oscula, amplexus, & tactus non impudici sponsis?

Respondeo, Sanch. lib. 9. disp. 46. cum Cajet. Navar., Tolet., Fagund., Bonac., Salas, Valent., & aliis apud Dian. part. 2. tract. 17. resol. 6., & part. 4. tract. 4. resol. 131. docere probabile esse, quod tactus non impudici inter Sponsosecutam excusentur a culpa mortali, etiamsi intendatur delectatio sensitiva, & carnalis, quæ ex illis oritur, dummodo ab sit periculum copulæ, aut consensus in illam, aut

pollutionis. Ratio est, quia sicut matrimonium cohonestat copulam; ita Sponsalia, quæ sunt quædam via, & initium matrimonii, & inchoatio traditionis corporum cohonestant ea, quæ sunt quasi via, & inchoatio copulæ. Præsertim quia sic magis foveatur amor in ordine ad matrimonium.

Suar. tamen, Rebel., Hurt. disp. 10. difficult. 10. cum Perez, & aliis communius, & probabiliter docent, esse mortale, si carnalis, & libidinosa voluptas intendatur, quæ scilicet sentitur in carne, cum commotione spirituum vitalium incitantum ad pollutionem, & dici solet delectatio sensitiva, & carnalis. Secus vero si oscula fiant in signum benevolentia, secundum consuetudinem Patriæ, ad vendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium; ita ut, si ob talē finem fiant, licita sint, etiam ad sit periculum pollutionis, dummodo ab sit periculum consensus in delectationem venereum: Etenim finis intentus est honestas, ne sponsi appareant inurbani; & pollutio, si forte sequitur, est præter intentionem. Ratio autem, cur juxta communiorē sententiam sint peccata mortalia, non solum tactus impudici, (de quibus nemo dubitat) sed etiam non impudici habiti a Sponsis propter delectationem sensualem, seu libidinosam, est, quia talis delectatio instituta est a natura in ordine ad copulam; ergo cum sponsis non sit licita copula, nec permittitur delectatio per se ad illam ordinata.

Confirmatur primo, quia non aliunde delectatio morosa de copula præterita in Viqua est illicita, nisi quia illa commotio carnis ex delectatione causata est quædam copula inchoata, qua sponsis est illicita, licet fuerit olim licita; atqui etiam sponsis est illicita copula, licet deinde sit futura licita:

cita: ergo sponsis etiam est illicita talis delectatio morosa. Quamvis autem contractus sponsalium sit quoddam veluti matrimonium inchoatum, non per hoc sequitur, quod sit licita talis delectatio, quæ est copula inchoata. Ratio est, quia qui non est perfecte Dominus alicujus rei, non potest illa re uti, ne imperfecte quidem; Verbi gratia, ille, cui promissa est donatio, vel venditio vineæ, non potest tali vinea uti, ne imperfecte quidem, quousque donetur, aut vendaratur; quia per promissionem donationis non habetur dominium perfecte, sed tantum inchoative: Hoc autem accidit in casu nostro; nam per sponsalia habetur solum inchoative jus ad corpus alterius, & ad copulam: ergo non est licitus usus illius, ne inchoative quidem, & consequenter carnalis delectatio sponsis est illicita.

Confirmatur secundo, quia sponsis de futuro conditionato (videlicet iis, qui contrahunt sponsalia sub conditio-
ne, verbi gratia, quod Pater consen-
tit, quod Papa dispensem, &c.) non
sunt licita hujusmodi oscula, & dele-
stationes, ex Sanch. lib. 5. disp. 5., &

tamen illa sponsalia sunt etiam via, quamvis magis remota, ad matrimonium: ergo neque licita sunt sponsis de futuro absoluto; quamvis hujusmodi sponsalia sint via proximior ad matrimonium.

VII. Ex dictis sequitur, eodem modo oscula, & tactus non impudicos esse peccatum aut veniale, aut mortale in sponsis, ac in solutis, & in viduis: Et solum sponsis ea permitti ad honestum finem, verbi gratia, ad excusandam inurbanitatem; Conjugibus tamen sunt etiam licita ad delectationem carnalem, quæ sit via ad copulam ipsis licitam; Quod si delectatio carnalis habeatur in absentia alterius conjugis, citra periculum pollutionis, esset dumtaxat peccatum veniale; quia continet quandam inordinationem, & nimium affectum circa res hujusmodi, nec potest haberri hic & nunc finis, ad quem talis delectatio natura sua ordinatur, nempe copula, ob absentiam conjugis, ut notat Con. disp. 34. dub. 11.: De quibus omnibus etiam infra questione septima, articulo quinto sermo redibit.

Q U A E S T I O II.

De Causis dissolventibus Sponsalia.

POSSUNT licite dissolvi Sponsalia pluribus de causis, quæ his versiculis continentur.

Dissensus, Crimen, Fuga, Tempus, & Ordo, Secunda,

Morbus, & Affinis, Vox publica, Cumque reclamant.

Primo itaque dissolvit Sponsalia *Dissensus*, seu mutuus consensus puberum, sicut dissolvit quemlibet alium contractum dissolubilem.

Secundo *Crimen*, seu delictum atrox commissum ab altero sponso dissolvit Sponsalia ex parte innocentis; Verbi gratia, furtum grave, homicidium, vel aliud, quod grave damnum, aut infamiam pariat: Nec solum fornicatio alterius Sponsi post Sponsalia, sive Corporalis, sive Spiritualis, (idest heresis) sed etiam fornicatio Sponsæ ante Sponsalia, quæ a Sponso sit ignorata,

Pars VII.

E nec-

necnon si Sponsa permittat, se ab alio impudice tangi, osculari, &c. similiiter sponsalia dissolvit.

Tertio *Fuga*, seu Discessus in longinquum, & longa absentia alterius Sponsi; censetur enim hic per fugam suo juri renunciare.

Quarto *Tempus*, hoc est lapsus temporis præfixi Sponsalibus implendis; liberatur enim ab obligatione is, per quem non stetit, ut contractus implatur.

Quinto *Ordo*, seu susceptio Ordinis Sacri, vel ingressus alterius in Religionem, aut Votum eam ingrediendi: Immo etiam votum simplex Castitatis, ut docent Suar., Azor., & alii, cum hoc sit de meliori bono: Contrarium tamen docent Filliuc., Sanch., Coninch., eo quod Deus non accepit rem alteri promissam, & in alterius præjudicium. Unde in foro externo sic vovens compellitur vel fidem servare, vel ingredi Religionem. Certum tamen est, quod per tale votum datur alteri parti jus ad rescindenda sponsalia, eo quod vovens censeatur juri suo renunciare.

Sexto *Secunda*, hoc est contrahere sponsalia, aut matrimonium cum alia sponsa, dat justam causam alteri rescindendi sponsalia, quamvis ille teneatur servare prima sponsalia, antequam ineat matrimonium cum altera; & post initum matrimonium, eo soluto, tenetur illa implere, ut docet Pont. contra Sanch. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 209.

Septimo *Morbus*, videlicet, si superveniat alteri morbus contagiosus, ut lepra, paralysis, morbus gallicus, aut alia notabilis mutatio; Necnon si de novo ea detegantur, quæ si a principio cognita fuissent, a sponsalibus deterruissent; ut est alterius sœvitia, aut morum asperitas, gravis infamia: Sicut etiam justus timor, ne ex matrimonio scandala, aut gravia odia nascantur inter consanguineos. Pariter, si graviter deformetur alter sponsus, ita ut reddatur ineptus ad suum opificium, & ad familiam sustentandam, vel si amittat oculum, nasum, &c. præsertim sponsa: Item magna debita, vel grave periculum morbi, fortunatum, famæ, paupertatis, &c. Similiter si sponsa dotem promissam dare non possit, aut sponsus incipiat vagari cum sponsa incommodo.

Octavo *Affinis*, hoc est, si alter sponsus copulam habeat cum consanguinea alterius in primo, aut secundo gradu; unde oriatur impedimentum dirimens Affinitatis; quamvis teneatur delinquens petere dispensationem.

Nono *Vox publica*, de impedimento scilicet dirimente, quamvis reversum adsit impedimentum; idque ad vitandum scandalum.

Ultimo *Quando reclamant*, hoc est quando sponsalia facta sunt inter impuberes, & alter pubertatem adeptus reclamat, seu dissentit. Quibus adde ignorantiam, metum, & dolum aliquando sufficientem dare causam dissolvendi sponsalia; ut mox examinabimus.

ARTICULUS I.

De Mutuo Consensu, & de Reclamatione dissolventibus
Sponsalia.

I. Sponsalia Puberum mutuo consensu

dissolvuntur, etiam si sint iurata intuitu pietatis.

II. Impuberum Sponsalia dissolvuntur, si eorum alter, statim ac ad pubertatem pervenerit, reclamet: Et quidem pro foro externo intra tri-
duum, & coram Judice, aut testibus.

III.

III. Probabilis impuberes reclamare possunt, cum ad pubertatem devenerint, etiam si Sponsalia juramento confirmarint.

IV. Impubescentes tamen, qui juramento confirmarunt Sponsalia, censuris cogendi sunt ad matrimonium contrahendum.

V. Quamvis Impuberis possint deinde reclamare, non per hoc sequitur, quod inanis fuerit contractus, & juramentum ante pubertatem.

I. QUÆRITUR primo; An possint licite sponsalia Puberum, etiam jurata, mutuo consensu dissolvi.

Respondeo cum communi affirmative; sicut potest quilibet alius contractus mutuo consensu, & partium remissione dissolvi: Nam ex Cap. 1. de Regulis juris, Res omnis per qualcumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, si dissolubilis est. Quod si alter tantum contrahentium in sponsalium dissolutionem consentiat, quamvis non dissolvat sponsalia, nec eximatur sua obligatione, tamen dat ius alteri ad resiliendum.

Quod si sponsalia sint jurata principaliiter in amorem Dei, seu per modum voti, (ut contingit, quando quis intuitu pietatis contrahit sponsalia jurata cum paupercula) etiam in tali casu mutuo consensu licite dissolvuntur ex Lessi, Con., Sanch. Tum quia juramentum censetur factum sub ea conditione, quod is, in cuius favorem sit, velit acceptare, & nolit cedere juri suo: Tum etiam, quia juramentum illud promissorium Deus non acceptat, nisi in gratiam partis, cui fit: ergo, parte nolente, Deus jurantem non obligat. Debet tamen pars remittere libere; cum talis remissio sit quædam donatio debiti, quæ debet esse libera; Quare, si metu incuso extorqueatur, non sufficit ad dissolvida sponsalia; Secus vero, si ob-

timorem parentum, vel viri asperitatem pars remittat; quia talis metus, cum non sit incusus ad extorquendam remissionem, non tollit libertatem sufficientem ad ejus validitatem.

Confirmatur ex Perez; quia ideo Pater potest irritare vota omnia etiam personalia impuberum, & vota realia puberum minorum, quia potest tollere materiam, que illi subjecta est, qua sublata cessat obligatio voti: ergo cum possit etiam foemina, in cuius favorem facta est promissio jurata, tollere materiam, nimirum remittendo promissionem in sui favorem factam, poterit pariter relaxare juramentum.

Demum quod non solum valide, sed etiam licite possint sponsalia jurata mutuo consensu dissolvi, docet D. Th. in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 5. dicens, Non semper esse levitatis retractare, quæ prius firmata sunt, quia incerta sunt providentiæ nostræ. Quare illicite dissolventur, si solum ex levitate, & inconstantia, vel ex aliqua rixa, non vero si rationabili de causa id fieret, cum nullo jure prohibetur.

II. Quæritur secundo; Utrum etiam Impuberum Sponsalia mutuo consensu ante pubertatem dissolvi possint, an vero expectare debeant tempus pubertatis, ut possint reclamare?

Respondeo, certum esse, quod mutuo consensu non dissolvantur, quamdiu impuberis sunt; ut constat ex cap. de Illis 7. de Desponsatione Impuberum: Ubi id statuitur, ne Impuberis levitate duicti iterum, iterumque sponsalia contrahant, & dissolvant: Quando vero ad ætatem nubilem, seu pubertatis sponsus devenit, potest reclamare, & sponsalia dissolvere, ut in eodem Capite statuitur in favorem ætatis fragilis: Solum autem pro foro externo requiritur, ut reclamatio fiat coram Judice, vel coram idoneis te-

stibus statim, videlicet intra triduum, ut notat Sanch. lib. 1. disp. 51. ex *lege finali Codice de Iudiciis*: alias, si in mora fuerit, censebitur tacite sponsalia confirmare: In foro tamen conscientia debet quidem reclamatio fieri statim; Verum si quis perveniens ad pubertatem oblitus sit sponsalium, vel ignoret ad pubertatem pervenisse, potest semper, quandcumque memor erit, reclamare. —

III. Difficultas est, An, si Impuberes sponsalia juramento confirmant, possint, parte invita, reclamare, quando ad pubertatem deveniunt? Negant Sanch. loc. citat., & Hurt., quia in Cap. ex Literis 10. de sponsalibus, & Matrimonii, statuitur, Impubescentes, qui sponsalia contraxerunt, & juramento confirmarunt, cogendos esse censuris ad matrimonium contrahendum. Sed probabilius affirmant Paul. Pont., Perez disp. 9. sect. 2.: Quod etiam Sanch. judicat esse probabile. Ratio est, quia juramentum additum contractui fortitur leges contractus, ex *lege finali Codice de non numerata pecunia*; Sed sponsalia impuberum includunt talem conditionem, ut cum ad pubertatem devenerint, possint resilire: ergo etiam juramentum illis additum.

IV. Ad rationem pro contraria sententia respondetur, in citato textu sermonem esse non de Impuberibus, sed de Impubescentibus, seu de iis, qui pubertati sunt proximi, quando in alia supplet atatem, inter quos, perinde ac inter puberes, validum est matrimonium.

V. Dices: Si impuberes, quando ad pubertatem deveniunt, possint ad libitum resilire, etiam parte invita; ergo tam contractus, quam juramentum sicut vanum.

Respondeo, non finisse vanum, quia ex tali contractu obligantur ad non contrahenda sponsalia cum aliis ante

pubertatem; & ex juramento fortius ad id obligantur: Præterea deservium, ut adveniente pubertate, non sit opus novo contractu, ut sponsalia præcedentia robur suum obtineant. Demum ex iis oritur impedimentum publice honestatis, quamvis possint ad libitum dissolvi tempore pubertatis.

ARTICULUS II.

De Crimine dissolvente Sponsalia.

- I. *Etiam sponsi, nedum sponsa formatio dat jus ad resiliendum a sponsalibus.*
- II. *Sponsus resilire potest, etiam sponsa turpiter se tangi permisit, assi si reprehendatur ante sponsalia fornicata finisse. Quandonam sponsa similiter resilire poterit?*
- III. *Quid, si uterque post sponsalia fornicationem commiserit?*
- IV. *Si sponsus conscius fornicationis sponsa ad illam accedit, amittit jus ad resiliendum.*
- V. *Nec solum pro foro externo, sed etiam pro interno.*
- VI. **Q**uartetur primo; An fornicatio etiam sponsi det jus sponsi ad resiliendum a sponsalibus?
Respondeo assentitative cum communni; Etenim Sanch. disp. 55. fateur, nullum reperisse Doctorem de hoc dubitantem, quamvis alii alia ratione dicantur. Ratio nostra est hec: Ideo sponsa potest rescindere sponsalia propter fornicationem sponsi, quia sponsa fornicatio movet merito sponsæ rationabilem suspicionem, se minus præ altera amari, & post matrimonium esse posthabendam, cum videat sponsum in fervore sui primi amoris alienis amoribus irretitum; quod valde durum est sponsæ: Præterea periculum sapientia, quod nascatur proles communibus sumptibus alenda: Demum quia in cap. *Quem;*

Quemadmodum 5. de *furejurando* Innoc. III, comparat sponsalia cum matrimonio in libertate dimittendi alterum sponsum propter fornicationem; Quare sicut æque uterque conjux potest alterum dimittere quoad torum propter fornicationem; ita æque uterque sponsus ex mente Pontificis potest dimittere alterum propter fornicationem; cum uterque eodem modo redatur suspectus de fide in posterum servanda. Propterea in juramento praestito ratione sponsalium subintelligitur tacite conditio, Nisi alter contra regulam desponsationis operetur; ut colligitur ex textu laudato.

II. Docent tamen Sanch., Henr., & alii contra Armil., & Tabien., quod sponsus possit etiam resilire, si sponsa invita compellatur ad fornicandum, aut si permittat se turpiter tangi, aut si fornicatio illius præcedens sponsalia deprehendatur post sponsalia, aut si vidua putata honesta post sponsalia deprehendatur fuisse inhonesta: Et ratio est, quia probro habetur ducere tales sponsam; Si tamen ea accidant sponso, Con., & Sanch. lib. 1. disp. 25. negant posse sponsam resilire, cum id non sit decus sponsæ; Excipe tamen, nisi sponsus deprehendatur frequenter lapsus cum diversis, & infamibus mulieribus; quia ex hoc redderetur ipse infamis, & possent ab eo similia post conjugium timeri: Excipe etiam, si ex fornicatione sponsi haberentur filii; quia hoc etiam notabiliter difficulter redderet statum matrimonii.

III. Quæritur secundo; An possit uterque sponsus sponsalia rescindere, si uterque post sponsalia fornicationem commisit?

Respondeo, Sanch., Henr., & Con. putare, quod in tali casu solus sponsus possit resilire, quia fornicatio sponsæ est multo turpior, vilior, & periculosa. Verum probabilius Bonac.,

& Palud. docent, quod neuter possit resilire. Ratio est, quia Innoc. III, ut diximus, comparat sponsalia cum matrimonio in libertate dimittendi sponsam: Ergo sicut si uterque conjux adulteretur, neuter potest ab altero quoad torum separari, quamvis ignominiosius sit adulterium feminæ quam viri; ita pariter si uterque sponsus fornicetur, neuter poterit sponsalia dirimere, quamvis fornicatio sponsæ sit turpior. Et ratio a priori est, quia cum utraque fornicatio det æque alteri jus sufficiens ad resiliendum, idcirco utroque fornicante, delicta utriusque quantum ad hunc effectum paria sunt; & consequenter dari potest mutua, & justa compensatio.

IV. Quæritur tertio; An sponsus habens jus ad dissolvida sponsalia propter sponsæ fornicationem, amittat tale jus, si ad illam accedat?

Respondeo cum communi, quod si non erat conscientia fornicationis, quando accessit ad sponsam, tale jus non amittat; secus vero si erat conscientia. Ratio est, quia sicuti maritus conscientia adulterii uxoris, si ad illam accedat, amittit jus petendi divortium; ita Sponsus amittit jus resiliendi a Sponsibus; siquidem in hoc, ut diximus, maritus, & Sponsus æquiparantur.

V. Perez tamen censet, quod, si Sponsus accedat ad Sponsam post fornicationem, vel maritus ad uxorem adulteram sine animo renunciandi suo iuri, illud non amittat in foro conscientiae, etiamsi amittat pro foro externo, eo quod censeatur per copulam confirmare Sponsalia; sed communiter impugnatur, quia copula in tali casu de se est manifestativa animi renunciantis proprio iuri; cum autem talis contractus sit onerosus, & Sponsa faciens copiam sui corporis bona fide procedat, habet jus, ne decipiatur; unde non licet Sponsus non habere animum confirmandi contra-

tractum sponsalitium: Ad eum modum, quo si te promittens alicui matrimonium, si ab ea copulam obtinet, obligatur eam ducere, ac si serio id promisisset: Et eodem pacto maritus conscientius adulterii conjugis, si ad illam accedit, censetur renunciare juri suo; unde non potest amplius petere divertitum.

ARTICULUS III.

De Fuga, seu longa absentia Sponsorum, ac de Tempore Matrimonii elapsi.

- I. Poteſt Sponſa reſilire a Sponſalibus, ſi Sponſus diſceſſerit, nec ſit ſpes, quod brevi ſit rediturus.
- II. Jus civile obligans Sponſam ad expeſtandum per biennium, ſi Sponſus ſit intra Provinciam, & per triennium, ſi ſit extra illam, non obligat Chriſtideles. Et quare?
- III. Biſariam poteſt in Sponſalibus prefigi terminus ad matrimonium contrahendum. Si ita prefigatur, ut poſt elapſum terminum ceſſet obligatio, eo elapſo, poterunt ſtatim Sponſalia diſſolvi; ſecus vero ſi obligatio non ceſſerit, dummodo mora non ſit diurna.
- IV. Ueſtamen poſſint Sponſalia diſſolvi ratione more, debet moneri qui eſt in tali mora, ut intra prefigum tempus matrimonium contrahat ſub interminatione reſcindendi Sponſalia.

I. **Q**uaritur primo; An, quando Sponſus abſque Sponſa conſenſu diſcedit in partes remotas animo redeundi, habeat Sponſa jus ad reſiliendum a Sponſalibus, ſi non ſit ſpes celeris rediutus?

Respondeo, certum eſſe, quod, ſi rediutus ſponſi ſit diſſiſtis, habeat Sponſa jus ad reſiliendum a Sponſa-

libus; quia in tali caſu & Sponſus cenſetur ſuo juri renunciare, & res promiſſa cenſetur notabiliter mutata; unde ceſſat obligatio Sponſalium: Si vero regreſſus non eſt diſſiſtis, ſed non eſt ſpes, quod brevi Sponſus ſit rediutus, multi cum Sylvest., Covar., & aliis apud Sanch. diſp. 54. docent, teneri Sponſam expeſtare, non ſolum ſi ob cauſam neceſſariam Sponſus diſceſſerit, Ex lege Sape ff. de Sponſalibus; ſed etiam ſi ob cauſam volumariam, dummodo iuſtam: Præterim quia jus civile præſcribit, ut Sponſus, qui extra Provinciam eſt, expeſtetur a Sponſa per tres annos; & ſi in Provincia ſit, expeſtetur per biennium, leg. 2. de Repudiis; hæc au-tem lex civilis videtur ſervanda, cum a jure canonico non ſit abrogata; Nam in Cap. Cum de Illis 5. de Sponſal. & Matrimon. Jus canonicum ſolum ſtatuit, ut liberum ſit Sponſa Sponſalibus reſilire, quando Sponſus ad partes remotas ſe transfert, ni- delicit, ut notat Abbas, mutando domicilium, & animo non rediutus.

Verum Sanch., Hurt., Bonac. quafi. I. punct. 6., Perez, & alii commi- niter docent, quod Sponſa poſſit li- cite reſilire, ſi non ſit ſpes proximi rediutus. Ratio eſt, quia eo iplo, quod Sponſus voluntarie tam longe recedit, & abſque ſpe celeris rediutus, cen- ſetur juri ſuo renunciatæ, & notabiliter fregiſſe fidem: Nec putandum eſt, Sponſam ſe obligaffe ad tam diuturne expeſtandum; cum hoc ſit illi nimis grave, & onerosum.

II. Addit Hurt., quod diſpoſitio juris civilis expeſtandi biennium, ſi Sponſus ſit intra Provinciam, & triennium, ſi ſit extra illam, non habeat locum in Sponſalibus baptizatorum, atque adeo eos non obliget. Ratio eſt, quia contraſtus Sponſalium inter ba- ptizatos habet pro objecto, & mate- ria

ria contractum matrimonii elevatum a Christo Domino ad rationem Sacramenti; atque adeo ejus materia est spiritualis, non subdita juri civili; quod tunc solum in his casibus obligat, quando per jus canonicum approbatur, non vero quando non reprobatur. Quare cum dispositio juris civilis adducta per jus canonicum non approbetur, poterit Sponsa, non exceptato biennio, aut triennio, statim resilire; sive causa discessus fuerit voluntaria, sive etiam necessaria, ut docet Perez sect. 9. contra Bonac., qui putat, legitime impedito tempus non currere, ex lege prima de Annuali Exceptione.

III. Quæritur secundo; An liceat statim a Sponsalibus resilire, quandocumque elapsum est tempus in Sponsalibus præfixum ad contrahendum matrimonium?

Respondeo, duplíciter posse talem terminum præfigi. Primo ita ut ante illum non sit obligatio contrahendi matrimonium, & post illum statim obligatio consurgat; ut si promittatur matrimonium post annum. Secundo, ita ut ante illum sit obligatio contrahendi matrimonium, & post illum obligatio cesset; ut si promittatur matrimonium contrahendum ante finem anni. In secundo casu per lapsum temporis præfixi dissolvuntur sponsalia etiam jurata: In primo vero casu non dissolvuntur; atque adeo tenetur uterque matrimonium contrahere, statim ac commode fieri potest. Si tamen unius mora tanta est, ut juxta prudentis arbitrium censeatur, vel illum Sponsalibus renunciaſe, aut peccasse mortaliter contra fidem datam, vel alterum non se obligasse cum tantamora, in tali casu qui est innoxius, habet jus ad Sponsalia dissolvenda: Frangenti enim fidem non tenetur fidem servare, ex lege si convenerit 14. ff. pro Socio.

IV. Est autem necesse, ut is, qui in mora fuit, monetur, idque sub intermissione resiliendi, nisi intra certum tempus stet promissis, quia aliter non satis constat, cum esse in mora culpabiliter; potest enim habere justum impedimentum, aut forte cogitare partem aliam in mora consentire, dum non urget.

Quod si Sponsalia nullo preſfixo termino iis adimplendis ſint contracta, neuter tenetur statim adimplere, sed ſolum quando alter requirit, ſi commode potest: Etenim hoc generale est cuilibet debito, abſque diei præfixione, quod debitor ſolum teneatur ſolvere, quando eſt requisitus a Creditore, niſi forte ob verecundiam, vel ob metum, aut impotentiam, vel oblivionem non petat. Et ratio eſt, quia quando creditor novit debitum, & potest commode illud petere, ſi non petit, censetur dilationi conſentire. Ita Sanch. disp. 25., Perez, Gutier., Bonac. quæſt. 5. punct. 6.

ARTICULUS IV.

De Susceptione Ordinis Sacri, ac de Voto Castitatis, aut Religionis.

- I. Sponsalia dissolvuntur per Professio-nem Religiosam, ac per Vota ſimplicia in Religione approbata, pœ-ta in Societate Iesu.
- II. Invita parte, poſſunt Sponsi Religio-nem ingredi, & quidem etiam poſt matrimonium ratum; ſi tamen id ſiat bona fide.
- III. Votum etiam castitatis dirimit Spon-salia subsequenia. Et ſusceptio Or-dinis Sacri dirimit etiam Sponsa-lia præcedentia.
- IV. Probabiliter diſolvi poſſunt Sponsa-lia, ſtām ac quis Novitiatum in-grediur.
- V. Qui juramento confirmavit Sponsa-lia,

- lia, poterit Religionem ingredi, non celebrato prius matrimonio.*
- VI.** *Nequit tamen Religionem ingredi, qui post Sponsalia obtinuit a Sponsalia copulam sub spe matrimonii.*
- VII.** *Votum profendi in Religione dirimit Sponsalia etiam precedentia. At votum ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordines Sacros, vel votum castitatis solum Sponsalia subsequentia dirimit.*
- VIII.** *Quod si vota istae emittantur post Sponsalia, alter remanet liber; sed vovens probabilius remanet ligatus a Sponsalibus.*

I. **P**rimo certum est, Sponsalia dissolvi per professionem in Religione approbata; Sicut etiam matrimonium ratum, ex cap. 2. de *Conversione Conjugatorum*.

Secundo certum est, per vota simplicia facta in Religione approbata, Verbi gratia in Societate Jesu, dissolvi sponsalia, ut ex Bullis Pontificiis constat. Et ratio est, quia per ea vota homo constituitur vere Religiosus, & sic inhabilis ad contrahendum matrimonium. Quod si matrimonium sit contractum, per ea vota non dissolvitur, & consequenter tenetur ad illud, nisi professionem faciat, antequam consummetur; Etenim matrimonium ratum dumtaxat per professionem dissolvitur, ex Cap. *Verum de Conversione conjugatorum*.

II. Tertio certum est, posse Sponsos, invita parte, Religionem ingredi, & illam vovere. Non est tamen licitum per se loquendo matrimonium contrahere cum animo ingrediendi Religionem, antequam illud consummetur, ut docet Sanch. disp. 43. cum aliis contra nonnullos. Et ratio est, quia Ecclesia dum concedit bimestre ad deliberandum de statu eligendo, non concedit hoc, ut fiat in præjudicium tertii; sed bona fide,

Quarto, Sponsalia dissolvi per hoc, quod alter Sponsus voeat Religionem; Etenim status matrimonialis post tale votum redditur absolute illicitus.

III. Quinto, Votum castitatis dirimere Sponsalia subsequentia; etenim illicitus pariter inter eos est status matrimonialis; Et quia talis status ratione voti est illicitus; pariter videtur regulariter illicitus contractus matrimonialis, quia incommodus, & periculosus. Utrum autem votum castitatis dirimat etiam Sponsalia precedentia, sicut dirimit votum Religionis? dicimus inferius.

Ultimo certum est, Susceptionem Ordinum Sacri, non vero Ordinum minorum, dirimere tam Sponsalia subsequentia, quam antecedentia, ex cap. 1., & 2. de *Clericis Conjugatis*; Et ratio est, quia suscipiens Ordines Sacros redditur incapax matrimonii contrahendi.

IV. Quaritur nunc primo, An dissolvantur Sponsalia per solum ingressum in Religionem, non excepita professione?

Respondeo, multos cum Palud. Verra-Crux, & aliis negare; quia qui Religionem ingreditur, non cedit iuri suo, sed vult experiri in novitatu, an sibi expedit profiteri, vel nubere: Sanch. tamen lib. 1. disp. 41., Mzrat., Tolet. affirmant, ex parte utriusque Sponsalia dirimi. Ratio est, quia sicuti se habent Sponsalia ad matrimonium, ita novitiatus ad professionem; sed Professio dissolvit matrimonium ratum: ergo novitiatus, seu ingressus in Religionem dissolvit Sponsalia ex parte utriusque. Tertia Sententia communior, & probabilior est Con., Rebel., Perez, Henr. docentium, dissolvi Sponsalia ex parte manentis in Seculo, non ex parte ingredientis Religionem. Ratio est, quia nullo jure dissolvuntur Sponsalia

ha per ingressum in Religionem : Quamvis enim per professionem dissolvatur matrimonium ratum, non per hoc valet inferre, quod per novitiatum dissolvantur Sponsalia ; quia argumentum a pari in iis, que pendent a jure positivo, non concludit ; & consequenter Sponsalia non dissolvuntur ex parte ingredientis Religionem : Contra vero qui remanxit in seculo, non teneturflare Sponsalibus ; eo quod in re promissa facta sit notabilis mutatio per ingressum alterius in Religionem ; etenim dedecori ducitur nubere cum eo, qui fuit Monachus.

V. Dubium est, An si Sponsalia sint jurata, possit alter Religionem ingredi, non celebrato prius matrimonio ? Sanch. loc. cit. cum communi docet, vi juramenti non obligari ad contrahendum matrimonium ante ingressum in Religionem, ex ratione saepius repetita, quod juramentum additum contractui sequitur naturam, & conditiones contractus ; quia accessorium sequitur suum principale, ex *Capite Quemadmodum de Jurejurando* ; Sed Sponsalitus contractus per se loquendo non obligat ad contrahendum matrimonium ante ingressum in Religionem : Ergo nec juramentum confirmans talem contractum.

Neque dicas, Alexandrum III. in Cap. *Commisum de Sponsalibus* respondisse, quod tutius sit, religione juramenti servata, prius contrahere matrimonium, & postea ad Religionem migrare ante consummationem. Nam variis ad hoc varia. Evidem cum Suar. dico, Pontificem locutum esse de eo, qui nondum firmo animo statuerat ingredi Religionem, & interim labebatur tempus biennii, intra quod promiserat matrimonium contrahere.

VI. Dubium etiam est, An possit Religionem ingredi, qui contraxit Spon-

Pars VII.

salia, & sub spe matrimonii a Virgine, vel honesta Vidua copulam obtinuit ? Communiter cum Sanch. Lef. Con. negant, etiam si ille voverit ingredi Religionem ; quia magis prævaler obligatio orta in tali casu ex justitia, quam obligatio orta ex voto. Emissio enim voti, & ejusdem adimpletio est actus liberalitatis ; non possumus autem esse liberales aut Deo, aut hominibus cum injurya alterius : Exempli gratia, non possumus dare eleemosynam, quam voveramus, si dando eleemosynam non possumus satisfacere debito ex justitia : ergo cum in casu nostro ex justitia ille teneatur ad matrimonium, non potest ingredi Religionem, quamvis illam voverit.

VII. Quæritur secundo ; An votum ingrediendi Religionem, vel castitatis, vel suscipiendi Ordines Sacros dirimat Sponsalia, sicut ditimit votum profitandi in Religione ?

Respondeo, & dico primo, votum ingrediendi Religionem, necon votum castitatis, & suscipiendi Ordines Sacros, si antecedat Sponsalia, illa, etiam si jurata, dirimit ; non secus ac votum profitandi in Religione, ex cap. *Rursus, Qui Clerici*. Ratio est, quia promissio Sponsalium post illud votum est promissio de re illicita, & idcirco non obligat.

VIII. Dico secundo ; si quis voveat castitatem post Sponsalia, alter remanet liber a Sponsalibus præcedentibus. Ratio est, quia in re promissa habetur mutatio notabilis ; grave enim onus est contrahere matrimonium cum eo, qui non potest petere debitum. Verum ipse vovens probabilius manet ligatus Sponsalibus, ut docent Sanch., Hurt., Con. contra Suar., Vasq., Pontium. Ratio est, quia Deus non acceptat promissionem rei jam alteri promissæ, & ab eo acceptata : Verbi gratia, si promisisti dare cen-

F tum

tum Petro, & ille acceptavit, non poteris vovere dare illa pauperibus, nec tale votum acceptatur a Deo: ergo si per Sponsalia promisisti corpus alteri, non poteris illud ipsum Deo vovere.

Neque dicas, in Sponsalibus subintelligi illam conditionem, videlicet, nisi perfectiore statum elegero. Nam hoc est falsum: si enim ea subintelligeretur conditio, quilibet liceat posset post Sponsalia non nubere, quia status celibatus est perfectior. Quare in Sponsalibus illa tantum conditio subintelligitur, Nisi professionem religiosam elegero; quia hoc in jure decreatum est.

Neque dicas secundo; Promissum non infringit, qui illud commutat in melius, ex cap. *Pervenit de Jurejando*; atqui melius est castitatem servare, quam nubere; ergo qui promisit nuptias, & deinde vovet castitatem, non infringit promissum, si servat votum: Nam sensus textus adducti est, non infringi promissum, si illud commutetur in id, quod sit melius eidem promissario: Dat exemplum Glossa: Si jurasti ire ultra mare peregrinationis causa, & hoc omisso, religionem ingrederis, non frangis juramentum: Contra tamen, si promisisti centum Petro, & ille acceptavit, non potes ea dare pauperibus; quia quamvis sit melius dare centum pauperibus, quam Petro; at non est melius ipsi Petro promissario.

Quod diximus de voto simplici castitatis, dicendum etiam est de voto suscipiendi Ordines Sacros, & de voto ingrediendi Religionem; Si enim tale votum præcedat Sponsalia, illa dirimit, ut diximus; quia per Sponsalia promitteretur res illicita: Quod si tale votum consequatur Sponsalia, illa non dissolvit ex parte voventis.

Neque dicas: Votum profitendi in

Religione emissum post Sponsalia illa dirimit ex parte utriusque; ergo etiam votum suscipiendi Ordines Sacros: Siquidem tam in professione religiosa, quam in susceptione Ordinis Sacri emititur votum castitatis solemne dirimens matrimonium, quod contraheretur. Negatur enim consequentia. Et disparitas est, quia prius votum est de re licita, & obligat, cum in jure permittatur post Sponsalia profiteri in Religione: At secundum votum est de re illicita, atque adeo non obligat; cum in jure non permittatur post Sponsalia suscipere Ordines Sacros.

A R T I C U L U S V.

Quomodo matrimonium, vel Sponsalia subsequentia dirimant priora?

I. *Sponsalia posteriora, cum sint iniata, non pariunt impedimentum publicæ honestatis; Sed dant alii Sponso ius ad resilendum.*

II. *Qui post Sponsalia cum Berta contrahit matrimonium cum Teresia, hac mortua, probabilius tenetur illam ducere.*

III. *Qui post priora Sponsalia cum Berta contraxit posteriora cum Teresia, a qua ignara priorum Sponsalium obtinuit etiam copulam, videtur teneri ducere Bertam, & damnum Teresia alia via compensare.*

IV. *Sed probabilius tenetur ducere Teresiam, qua damnum passa est, & sui corporis usum tradidit.*

I. **C**ertum est primo, quod si Tertia post Sponsalia cum Berta contrahat matrimonium cum Teresia, dirimantur præcedentia Sponsalia; cum impossibile sit contrahere cum Berta novum matrimonium.

Cer-

Certum est secundo, per secunda sponsalia, etiam si jurata, non dissolvi priora; Etenim secunda sunt de re illicita, & ideo nullius momenti, & invalida; ita ut non pariant impedimentum publicæ honestatis, ex cap. Unico de Sponsalibus, & matrimonii n° 6.

Certum est tertio, sponsum contrahentem secunda sponsalia dare sponsæ sufficientem causam, ut licite a sponsalibus resiliat, cum ipse prior fidem fregerit.

II. Quaritur nunc primo; An sponsus, qui cum secunda foemina contraxit matrimonium, ea mortua, tenetur ducere primam, cum qua prius sponsalia contrixerat?

Respondeo, Sanch. lib. I. disp. 48., Henr., Palud. negare, etiam si priora sponsalia fuerint jurata. Primo, quia per matrimonium subsequens extinguit obligatio priorum sponsalium; obligatio autem semel extinta non reviviscit, ex cap. Quavis de Consecratione. Secundo, quia quando secunda obligatio fortior supervenit priori, extinguit omnino illam, si sint ejusdem rationis: Exempli gratia, professio facta in Religione laxiori extinguit votum Religionis strictioris; quia professio est vinculum fortius, quam votum, (sicut vinculum matrimonii est fortius vinculo sponsalium) & sunt ejusdem rationis.

Verum Con., Hurt., Perez, &c alii apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 209. probabiliter affirmant; tum quia videtur iniquum, quod quis per iniuriam tollat alteri jus suum, seque ab eius obligatione eximat; quod accideret in casu nostro: Tum etiam quia obligatio semel contracta per impedimentum superveniens sopitur, non extinguitur; ut patet in eo, qui post votum Religionis-nupsit, tenetur enim, mortua uxore, Religionem ingredi.

Neque dicas cum Sanch. in hoc casu obligationes voti, & matrimonii esse diversæ rationis: contra vero in casu nostro obligationes sponsalium, & matrimonii esse ejusdem rationis: Nam doctrina data est universim vera, etiam quando obligationes sunt ejusdem rationis, ut patet; quia si ego equum vendidi Petro, ac deinde illum eundem vendidi, & tradidi Titio, sopitur, non extinguitur illa prior obligatio; Nam si hæc secunda venditio dissolvatur, & Titius restituat mihi equum, teneor illum tradere Petro propter obligationem contractam in prima venditione.

Ad primum itaque argumentum Thomæ Sanch. respondetur, obligationem priorum sponsalium non extingui per matrimonium subsequens, sed sopiri. Ad secundum respondetur, idcirco professionem in Religione laxiori extinguire votum religionis strictioris, quia hoc ex particuliari juris constitutione statutum est ad pacem monasteriorum, & profidentium: Quare non debet trahi ad simile; præfertim quando agitur de præjudicio juris alieni.

III. Quaritur secundo; An priora sponsalia dissolvantur per posteriora, si sequatur copula cum secunda foemina omnino ignara priorum sponsalium?

Respondeo, certum esse, quod ante Trident. priora sponsalia dissolubantur; quia secunda per copulam transibant in matrimonium: Nunc vero post Trident. Sanch., Hurt., & alii docent, debere ducere priorem sponsam in casu adducto, etiam si secunda sit ignara, nedum si sit conscientia priorum sponsalium; Etenim secunda sponsalia non possunt prioribus derogare. Et ratio a priori videtur esse, quia non tenetur ducere secundam; neque ratione promissionis, quippe quæ fuit de re illicita; neque

F 2 ra-

ratione damni illati, quia huic damnno satis fieri potest constitutione dantis, aut alia via.

Alii tamen cum Con. dub. 4. verius docent, debere ducere secundam, cum qua habuit copulam; Primo, quia ex *lege Quoties Codice de rei vindicatione*, Res uni vendita, & deinde alteri vendita, & tradita huic debetur; atque in secundis sponsalibus, quamvis non traditum sit dominium corporum, traditus tamen est usus per copulam; ergo quanvis secunda sponsalia non obligant ratione promissionis, obligant tamen ratione talis promissionis. Secundo, quia sicuti qui post votum religionis obtinuit copulam ab aliqua honesta fœmina sub spe matrimonii, tenetur illam ducere; & non potest ingredi religionem, ut diximus quæst. I. art. 1. ita in casu nostro: Non enim magis obligat vinculum priorum sponsalium, quamvis sit vinculum justitiae, quam vinculum voti, ut docet Suar. lib. 4. de Voto cap. 3.; Quod ex eo patet, quia gravius peccat, qui in eadem materia peccat contra votum, quam qui peccat contra justitiam; Verbi gratia, gravius est peccatum religiosi proprietarii, quam sit peccatum furis. Tertio, quia quando duo contendunt, alter de lucro acquirendo, alter vero de damno vitando, huic potius favendum; atque secunda fœmina nisi nubat, damnum patitur, prior vero lucrum non acquirit: ergo illi favendum, posito quod priorum sponsalium non fuerit conscia, & bona fide se obligarit ad matrimonium, offerendo etiam usum corporis.

Ad rationem itaque in contrarium respondeatur, debere sponsum ducere secundam, non præcie ratione promissionis, sed ex eo, quod ex parte tradita sit res promissa, cum traditus sit per copulam usus corporum;

quamvis non dominium, quod tridatur per matrimonium.

ARTICULUS VI.

De Morbo, aut simili vicio dissolvente Sponsalia.

- I. Causa sufficiens ad Sponsalia etiā iurata dissolvenda est, notabilis morbus, aut deformitas, vel quod simile superveniens, aut si de novo deprehendatur.
- II. Quid si uterque Sponsus in paupertatem incidat?
- III. Dissolvi possunt Sponsalia etiā iurata, si quid de novo accidat, quod si ab initio existaret, Sponsalia impediret.
- IV. Hinc qui spe futuri matrimonii copulam extorquet a Bertia, non tenetur illam ducere, superveniente notabili mutatione.

I. **C**ertum est, quod non solum morbus, sed etiam qualibet alia notabilis mutatio superveniens sponsalibus sufficiat ad illa etiā iurata dissolvenda. Ratio est, quia promissio, & juramentum non obligant ultra intentionem promittentis, & jurantis; hic autem non censetur habere intentionem promittendi, facta notabili rerum mutatione, quæ scilicet præcognita merito communiter averteret homines prudentes talis conditionis a contrahendis sponsalibus.

Hinc sequitur primo, Sponsum non teneri ad matrimonium, si post sponsalia alter incidit in lepram, amictus, aut notabiliter deformis factus sit. Secundo, si superveniat notabilis alterius asperitas, & saevitia. Tertio, si post sponsalia morum mutatio facta sit, ita ut appareat alter valde deditus vitiis, aut si damnatus sit allijus turpis criminis, puta furti. Quarto, si superveniant, aut timeantur

tur graves inimicitiae inter consanguineos ratione matrimonii. Quinto, si parentes renuant dare dotem promissam.

II. Similiter si notabilis paupertas alteri superveniat; Immo si uterque incidat in paupertatem, puto cum Rebel. contra Bonac., quod possit etiam uterque resilire, quia onus futuri matrimonii redditur longe difficultius: Si tamen alteri post sponsalia superveniant plurimae divitiae, ex illo etiam cum Hurt. contra Sanch., & Bonac., quod possit pariter resilire; cum hac sit etiam notabilis mutatio, qua prævisa is non contraxisset; Esto verum sit, quod non sit deceptus in conditione alterius.

III. Denum sufficiens caput ad dissolvenda sponsalia, etiam jurata, est quocumque notabile accidat, quod in principio existens impediret ea contrahi, ut communiter docent: Et ratio ulterior est, quia contractus sponsalitius non est perfectus, sed inchoatus, factus non pro re accepta, sed pro re accipienda, & quæ non accipitur, si dissolvatur contractus; unde tacite in contractu sponsalitio subintelligitur, quod si superveniat notabilis mutatio, ob quam impletio sponsalium fiat notabiliter onerosior, resilire possit is, cui id accidit. Quibus adde, ex lege Obligatione generali ff. de pignore, quod in generali, seu simplici obligatione non continentur ea, de quibus verosimiliter non est cogitatum: Et cap. *Venientia* 16. de jurejuringo notat Glossa, quod juramentum non extendatur ad illa, de quibus non est cogitatum.

IV. Ex quibus sequitur, quod si sponsus copulam extorqueat sub spe futuri matrimonii, & deinde notabilis mutatio superveniat, tunc satis sit damnum illatum compensare; quia promissio in iis sponsalibus censetur pariter facta sub ea implicita

conditione, quod notabilis mutatio non accidat.

ARTICULUS VII.

De Affinitate, seu Impedimento Juris superveniente; Ac de Voce publica, seu fama de Impedimento.

I. *Sponsalia dissolvuntur per quocumque impedimentum dirimens, quod superveniat.*

II. *Qui culpa sua fuit causa talis impedimenti, puta affinitatis, tenetur ad matrimonium, si alter innocens obtineat dispensationem.*

III. *Immo qui fuit causa impedimenti tenetur ipse dispensationem petere; praesertim si advertit, quod culpa sua impedimentum contrahatur.*

IV. *Fama certa de impedimento dirimento satis est ad sponsalia dissolvenda, etiam jurata; non secus ac testimonium unius fide digni: Quod tamen non sufficit ad dissolvendum matrimonium.*

V. *Prater famam requiritur Persona gravis, non qua deponat impedimentum, sed qua denunciet famam.*

VI. *Solus rumor (qui habetur per hoc, quod minor pars, vicinia impedimentum acclamet) non satis est ad dissolvenda Sponsalia.*

I. **I**ndubitatum est, irritare Sponsalia præcedentia quodlibet superveniens impedimentum dirimens matrimonium; ut est suscepio Ordinis Sacri, Impotentia, Affinitas, quæ contrahitur per hoc, quod sponsus habeat copulam cum consanguinea sponsa in primo, aut secundo gradu, vel e contra. Ratio est, quia posito eo impedimento, matrimonium proximum contrahi non potest absque dispensatione.

II. No-

II. Notandum tamen, quod qui fuit causa talis impedimenti ex suo peccato non debeat ullum commodum reportare; unde quantum est ex se, tenetur ad matrimonium obtentum ab altero dispensatione.

Quæritur nunc, An Sponsus, qui post Sponsalia contraxit impedimentum affinitatis, teneatur impetrare dispensationem, parte id exigente?

III. Respondeo, Sanch. disp. 56., Con., Bonac. docere, quod teneatur, si absque notabili incommmodo illam potest obtinere. Ratio est, quia sponsa habens jus ad matrimonium habet jus, ne injuste impediatur; ergo sponsus injuste impediens tenetur ex iustitia tollere impedimentum obtinendo dispensationem; Si tamen possit absque notabili incommodo, quia ex vi sponsalium non censetur sponsus se obligasse ad procurandum matrimonium per media ardua, & difficultia.

Putat tamen Hurt. disp. 2. difficult. 12., quod non teneatur sponsus petere dispensationem, si quando dedit causam impedimento, peccando cum consanguinea sponsæ, non advertit contrahi impedimentum. Ratio est, quia tunc non damnificavit libere, & qui non damnificat libere, non tenetur ad satisfaciendum; cum in tali casu damnum computetur tamquam fortuitum, ut docent Doctores in materia de Restitutione: Sicuti si Clericus, verbi gratia, in venatione prohibita occidat hominem, quem putat esse feram, non tenetur ad restitutio- nem; idque etiam si eo animo occidat feram, ut adhuc si sciret eam esse hominem, vellet occidere, ut nota Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 26. Quamvis multi, & graves Auctores apud eundem sint in sententia opposita.

IV. Præterea Vox publica, seu Fama dicitur, quando habetur acclama-

matio, seu opinio majoris partis vicinæ: Dicitur vero Rumor, quando minor pars vicinæ acclamat, etiam si sit quarta, vel tertia pars illius. Hoc posito, certum est primo *ex cap. Super eo 2. de Consanguinitate*, famam de aliquo impedimento dirimente matrimonium dissolvere sponsalia: Verbi gratia, si fama sit, quod sponsus habuerit rem cum sorore sponzie. Id quippe in jure decretum est ad scandalum vitandum: Verum, ut fama hæc possit dissolvere sponsalia, debet esse certa; ita ut extingui non possit clarioribus probationibus. Ratio hujus est, quia quamvis ad dissolvendum matrimonium jam contractum non satis sit unus testis, qui deponat de impedimento dirimente; (unde relata ad hunc effectum dici solet Vox annius, Vox nullius) nihilominus ad dissolvenda sponsalia, seu ad impedientium matrimonium contrahendum fatis est testimonium juratum unius de digni, qui de impedimento deponat, *ex cap. Super eo 2. de Testibus, & Attestationibus*; atqui fama cetera æquipollit testimonio unius: ergo, illa interveniente de aliquo impedimento, dissolvuntur sponsalia.

Quod si quæras, Quare testimonium unius sufficiat ad dissolvenda Sponsalia, non vero ad dissolvendum matrimonium?

Respondent communiter Doctores; quia in primo casu agitur de delicto vitando, ne scilicet sponsi habentes impedimentum contra Ecclesiæ prohibitionem contrahant matrimonium, & peccant: Contra vero in secundo casu agitur de delicto probando, & de magno præjudicio tertii: unde iura duos saltē testes in hoc cau- requirunt.

V. Certum est secundo, famam impedimenti dissolvere sponsalia etiam iurata; cum juramentum sequatur naturam, & leges contractus.

Ne-

Neque dicas cum Palud., quod requiratur & fama, & personæ gravis testimonium ad dirimenda Sponsalia jurata, ex cap. Cum in tua de Sponsalibus; ergo sola fama non sufficit: Nam in eo textu persona gravis non requiritur, ut deponat impedimentum, sed ut denunciet famam; unde sola fama sufficit.

VI. Certum est ultimo, solum rūmorem de impedimento non sufficere ad sponsalia dirimenda, ut communiter docent contra Antoninum, & Præposit. Ratio est, quia ex uno capite nullus habetur textus canonicus afferens, rūmorem hunc sufficere ad impediendum matrimonium; & ex alio capite regula generalis est, quod possint omnes contrahere, qui non reperiuntur prohibiti, ex cap. Cum apud sedem de Sponsal., & matrimon. ubi Glossa ait: Id, quod non prohibetur, concessum videtur.

ARTICULUS VIII.

Quænam ignorantia, & dolus dissolvant Sponsalia; Et quiam metus?

I. Causa, que sufficient ad dissolvenda Sponsalia, si superveniant, satis sunt ad ea dissolvenda, si præcesserint, & invincibiliter fuerint ignorata.

II. Alter discurrendum de dolo dante causam contractui, ac de incidente in contractum. Alter etiam si ab altero ex contrahentibus adhibetur, ac si a tertia persona.

III. Sponsalium contractus per dolum celebratus probabiliter non est irritus, sed solum irritandus ad arbitrium decepti; ut proinde pariat impedimentum publica honestatis.

IV. Ideo Votum ex errore emissum est irritum, quia est promissio gratuita; at sponsalia ferunt promissio-

nem onerosam; & ideo non sunt irrita, sed irritanda, si per dolum celebrentur.

V. Qui per dolum contraxit eo animo, ut licet dolum cognovisset, adhuc ea sponsalia contraxisset, nequit resilire.

VI. Num contrahentes sponsalia teneantur occulta vitia aperire, quibus deprehensis, Sponsalia non celebrantur?

VII. Defectus, qui notabiliter nocent vita sociali conjugum, aperiendi sunt a sponsis; alii vero non sunt aperiendi, nisi de iis interrogentur contrahentes sponsalia. Nec licet simile oppositum.

VIII. Metus levis non irritat sponsalia; sicut nec metus gravis iuste incusus; nec metus injuste incusus, sed non ad extorquenda sponsalia.

IX. Probabilius sunt solum irritanda ad arbitrium metum passi, non vero irrita sponsalia celebrata per metum injuste incusum ad ea extorquenda.

X. Hinc, si sint jurata, datur obligatio contrahendi matrimonium ratione juramenti; nisi obtineatur dispensatio.

I. Quod attinet ad ignorantiam, seu errorem, certum est apud Doctores, illas causas, quæ satis sunt ad dissolvenda sponsalia, si superveniant, (ut est lepra, paralysis, &c.) satis etiam esse, si præcedant, & invincibiliter ignorentur. Ratio est, tum quia sponsi non censentur voluisse se obligare ad matrimonium, cognita tali causa, ut supra diximus; tum etiam quia sponsalia dissolvi possunt, si superveniat notabilis mutatio: ergo etiam dissolvi possunt, si notabilis mutatio per errorem, aut ignorantiam prius non fuit cognita, & deinde cognoscatur; etenim in

in Jure esse, & de novo apparere. Non esse, & Non apparere paria sunt, leg. 77. de Contrahenda Empione; tum demum quia sicut vitium occultatum satis est ad dissolvendam venditionem, & quemlibet alium contractum dissolubilem, ita etiam contractum sponsalium.

II. Porro circa dolum notandum est, aliquando dolum dare causam contractui, aliquando incidere in contractum. Dat dolus causam contraetui, quando, si præcognitus fuisset, impediisset contractum. Incidit vero in contractum, quando, si cognitus fuisset, non impediisset illum, quamvis non eodem pretio, conditione, &c. contractus factus esset. Notandum etiam, dolum aliquando adhiberi ab altero contrahente, aliquando vero a tertia persona. His explicatis

III. Quæritur primo, Utrum contractus sponsalium ipso jure irritus sit, ita ut non pariat impedimentum publicæ honestatis, an vero sit solum irritandus, quando præcessit error, seu ignorantia eorum, quæ satis sunt ad dissolvenda sponsalia? Præsertim si dulus dedit causam contractui; verbi gratia, si Berta corrupta, aut paupercula, aut laborans lepra simulavit se virginem, aut divitem, seu famam.

Respondeo, Sanch. lib. I. disp. 64., & alios apud Bonac. punct. 9. docere, quod si dulus dederit causam contractui, & adhibitus sit ab altero contrahente fraudulenter, contractus Sponsalium ipso jure sit irritus. Ratio est, quia quilibet contractus bona fidei celebratus per dolum dantem ipsi causam, & adhibitum ab altero contrahente est irritus ipso jure, ex leg. Et eleganter 7. ff. de dolo

Sed communius Doctores docent cum Con. dub. 9., & Perez, contractum Sponsalium celebratum per do-

lum sive dantem causam contractui, sive incidentem in contractum, neque esse irritum jure naturæ, neque jure civili; Non jure naturæ; quia quando error non versatur circa substantiam, (hoc est circa personam in contractu Sponsalium) sed circa circumstantias contractus, jure naturæ contractus est validus; ut patet in contractu matrimoniali. Neque jure civili talis contractus est irritus; ut se probat Less. de Justitia cap. 17. dub. 1. Quare solum pro arbitrio ejus, qui deceptus est, irritari potest dupliciti titulo, & ratione injuria oritur ex dolo, & ratione defectus confessus orti ex ignorantia: Nec ad irrandum talem contractum requiritur sententia Judicis, si res sit clara; secus vero si sit dubia.

IV. Neque dicas: Votum ex errore emissum nullum est; Verbi gratia, si quis voeat peregrinationem Laurentianam, existimans Lauretum esse propinquum: ergo etiam Sponsalia ex errore contracta erunt nulla.

Nam, concessio antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia votum est promissio gratuita, que viatatur errore illo: At Sponsalia sunt contractus onerosus; unde satis est, quod possint irritari.

Ex dictis sequitur, quod decipiens in sententia nostra cogi possit a decepto ad matrimonium; Quod tamen in sententia opposita Sanch. docentis contractum Sponsalium in eo casu esse irritum, non sequitur.

V. Quæritur secundo, An qui celebravit Sponsalia per dolum incidentem in contractum, si ita erat affectus erga Bertam, ut etiamsi dolum cognovisset, Sponsalia contraxisset, possit deinde, cognito dolo, resilire? Verbi gratia, si Titius contraxit cum Berta deflorata, quam putabat virginem, eo animo, ut etiamsi id sciret, cum ea contraheret, potest ne resilire, quan-

quando eam deprehendit defloratam? Respondeo cum Bonac., Sanch. disp. 63., & aliis negative. Ratio est, quia tale vitium non censetur esse contra voluntatem promittentis, cum absolute promiserit, & adhuc promisisset, tali vitio cognito. Si tamen dubaret, an, eo vitio cognito, promisisset, tunc inspicienda est gravitas vitii; Cum enim homines nolint promittere, interveniente notabili mutazione, & cognito gravi vitio, (verbi gratia, si deprehendatur pauper, aut deflorata, quæ putabatur dives, & virgo) idcirco presumendum est ex communiter contingentibus, quod Titius, cognito tali vitio, non promisisset.

VI. Quæritur tertio, An habens vitium occultum possit licite contrahere Sponsalia cum eo, quem certo scit nullo modo contracturum, si vitium illud aperiretur?

Respondeo, questionem hanc pendere ab illa, An venditor teneatur emptori aperire occulta vitia rei vendende? Circa quam docet primo Less. cap. 21. dub. 11., quod quando emptor interrogat venditorem de aliquo vitio rei vendenda, teneatur venditor ex justitia aperire illa vitia, quæ sunt contraria usui, propter quem res emitur. Docet secundo, idem dicendum, si emptor non interroget, sed solum significet rem illam ad aliquem certum usum petere, quia simpliciter perit vendi sibi rem tali usui accommodatam; verbi gratia, equum ad itinerandum. Docet tertio, quod quando venditor celat vitia, quæ non redundunt rem notabiliter minus utilem usui, propter quem expetitur, non peccet contra justitiam ea celando; quia nimis durum esset obligare homines, ut tam minuta vitia aperiant. Docet quarto, quod quando emptor fidens proprio iudicio deligit sibi rem emendam, venditor non ex justitia,

Pars VII.

sed solum ex charitate teneatur aperire vitia rei, quæ redditum illam notabiliter minus utilem ad usum, ad quem expetitur: Quod si ad talem usum vitia illa sint noxia, tenetur ea ex justitia aperire.

Notandum præterea, defectus dantes justam causam resiliendi a Sponsalibus esse duplicitis generis. Aliqui enim redditum nuptias notabiliter minus expetibiles, non tamen noxias alteri parti, ut si mulier sit corrupta, pauper, ignobilis, deformis, moribus improbis, &c. Alii vero defectus redditum nuptias alteri parti noxias, & perniciose, ut si quis laboret morbo gallico, lepra, &c. His annotatis

VII. Dico primo cum Con., Perez, Sanch. lib. 6. disp. 27. Non teneatur pars aperire defectus primi generis alteri parti volenti secum Sponsalia contrahere. Ratio est, quia nemo tenetur se infamare, & suos defectus proclamare, quamdiu non nocent alii; isti autem defectus non nocent ad vitam socialem, & ad generationem, & honestam educationem prolis, ad quem usum expetitur matrimonium: ergo non sunt aperiendi, nisi de iis pars interrogetur. Quare si alter decipiatur, sibi imputet, quod fidens suo iudicio non melius de re tota exquisierit.

Dico secundo: Patiens hujusmodi defectus primi generis non potest alterum vana spe ad nuptias suas allicerre, simulando positive contrarium vel dicto, vel facto. Ratio est, quia esset fraus manifesta; ut si quis fingeret se divitem, nobilem, &c. Dixi, simulando positive; nam licitum est defectus istos tegere ad bonam famam conservandam: Immo si fœmina petatur, num ab ullo fuerit cognita, potest hujusmodi defectum dissimulare, alia respondendo, cum non teneatur famam suam prodigere.

Dico tertio: Patiens defectum se-

G cun-

cundi generis non potest cum illius cognaro contrahere Sponsalia, nec postea urgere, ut contractum impleat, nisi iste similes defectus pateretur. Ratio est, quia gravem injuriam illi, & damnum irrogaret.

VIII. Quæritur quarto: Utrum metus cadens in constantem virum injuste incussum ad extorquenda Sponsalia reddat ea irrita, ita ut non pariant impedimentum publicæ honestatis; an solum irritanda?

Respondeo, prænotando, Metum alium dici gravem, & probabilem, seu cadentem in constantem virum; ut est timor mortis, gravis percussio-nis, infamiae, carceris longevi, amisionis status, aut copia gentis divitiarum, & similium: Immo satis est, ut hujusmodi mala imminet personis valde conjunctis, videlicet consanguineis, aut affinibus usque ad quartum gradum, ut notat Perez: Alium vero dici metum levem, improbabilem, seu cadentem in virum inconstantem, qui scilicet non movet virum constantem ad faciendum id, propter quod incutitur. Hoc posito

Certum est primo, Metum levem, quomodocumque incutiatur, non irritare Sponsalia; Sicut non irritat matrimonium, aut Votum. Ratio est, quia in jure metus levis non habetur ratio. Docet tamen probabiliter Sanch., posse propria auctoritate irritare Sponsalia eum, qui injuste passus est metum levem a comparte: Nam cum haec teneatur relaxare fidem tali metu extortam, poterit ipsemet vim patiens in conscientia resumere fidem a se datam; idque etiam si Sponsalia fuerint jurata; dummodo juramenti relaxationem obtineat.

Certum est secundo, Metum gravem juste incussum non reddere Sponsalia nulla; Verbi gratia, si Judex Scario dicat; Nisi despondeas Bertam, ad suspendum, vel ad tritemes te

condemnabo propter assassinum commissum: Immo metum hujusmodi nec invalidare matrimonium, docent Doctores cum Sanch. lib. 4. disp. 12, quia talis metus incutitur potius a proprio delicto, & solum a Judice traditur modus evadendi poenam, si scilicet matrimonium celebret. Estamen opinio isthac contra Bonac. quest. 3. punct. 8., qui docet, matrimonium hujusmodi esse irritum, quia contractus matrimonialis propter ejus indis-solubilitatem, & propter reverentiam Sacramenti requirit perfectam libertatem, quæ a tali metu videtur impediiri.

Certum est tertio, Metum gravem injuste incussum, non tamen ad extorquenda Sponsalia, sed ad alium finem, non irritare Sponsalia; Sicut nec si a causa extrinseca non libera incutiatur; Ut si quis ex metu naufragii, aut ini-micitiarum Sponsalia contrahat. Ratio est, quia Sponsalia in tali eventu a propria voluntate eliguntur, nec injuriam ullam continent: Et idem dicitur de contractu matrimoniali: Quare validum est tum jure naturali, tum positivo matrimonium, quod celebraret cum filia Judicis is, qui videt se a Judice injuste damnandum, nisi nubat; dummodo tamen non sit damnandus injuste, ut extorqueatur matrimonium, sed solum appareat periri viam ad declinandam injuriam per matrimonium. Ita Perez, & Sanch. loc. citat.

Certum est quarto, Metum gravem injuste incussum ad extorquendum matrimonium reddere illud nullum, si ve jure naturali, ut censem Merat, Molin., Rebell., sive saltam solo jure Ecclesiastico, ut Sanch., Cou., Hurt. apud Perez disp. f7. sect. 11.

IX. Difficultas solum remanet; Num metus gravis injuste incussum ad extorquenda Sponsalia reddat etiam irritum, an solum irritandum contrarium

aut Sponsalium? Sanch. docet, esse ipso jure irritum, ex cap. *Ex litteris de despensat. impuberum*; ac proinde docet, quod, si hujusmodi meticulo-
sa Sponsalia sint juramento firmata,
non indigeant relaxatione juramenti
ad ea non servanda; quia quando-
jus resistit contractui, estque contra-
ctus contra bonos mores. Juramen-
tum confirmans talem contractum non
obligat, ex Regula 58. de Regulis ju-
ris in 6.: *Non est obligatorium contra
bonos mores praestitum juramentum.*

Evidenter censeo contra Sanch. cum Hurt., Con., Henr., Sponsalia hujus-
modi nullo jure esse irrita; posse tam-
en personam coactam ad promittend-
um ab iis resilire propria auctorita-
te. Probatur, quia neque sunt irrita
jure Ecclesiastico, nam in Cap. *ex li-
teris* citato a Sanch. sermo est de
puella, quæ omnino invita contraxerat;
Neque sunt irrita jure naturali:
Nam ad valorem cujuscumque contra-
ctus ex justitia obligantis jure natura-
li duo requiruntur, & Voluntarium,
& Titulus; in casu autem nostro ha-
betur Voluntarium, quamvis admix-
tum involuntario, ut patet in eo,
qui ad vitandam mortem, quam Tyr-
annus minatur, nisi adulteretur, com-
mittit adulterium; hic enim vere pec-
cat, eo quod talis metus non tollat
libertatem: Præterea in casu nostro
habetur Titulus; quia datur ius ad
corpus unius pro jure ad corpus
alterius; cum enim uterque habeat
dominium in suum corpus, potest ut-
terque promittere illud in matrimonio-
num pro reppromissione alterius.

X. Ex dictis sequitur contra Sanc.,
quod qui ex metu gravi injuste in-
cuso ad extorquenda sponsalia pro-
mittit matrimonium cum juramento,
obligatur ad matrimonium ratione ju-
ramenti; non secus ac qui promittit
cum juramento solvere pecuniam la-
troni ad vitandam mortem, tenetur

ratione juramenti. Et ratio est, quia
juramentum obligat, quando licite im-
pleri potest, ex Cap. *Debiores*, & ex
Cap. *ult. de Jurejurando*: Propter ea in-
diget relaxatione juramenti, si velit
Sponsalia isthac meticuloſa dissolvere.

ARTICULUS IX.

Quænam probatio, & Judicis au-
toritas requiratur ad dissol-
venda Sponsalia?

- I. *Pro foro interno sufficit solida proba-
bilitas, quod detur causa suffi-
cientis ad Sponsalia dissolvenda.*
- II. *At pro foro externo requiritur, vel
unus testis fide dignus juratus, vel
fama de impedimento dirimente,
ut ratione talis impedimenti spon-
salia dissolvantur. Si vero causa,
qua allegatur ad resiliendum, non
sit impedimentum dirimens, sed
verbi gratia, fornicatio Sponsæ,
requiruntur duo testes.*
- III. *Ad servanda Sponsalia cogere po-
test Judge Ecclesiasticus; Necnon
etiam Judge Secularis: dummodo
ex invitis nuptiis gravia scandala
non oriuntur.*
- IV. *Solus Pontifex potest ex gravi cau-
sa in Sponsalibus dispensare.*

I. **Q** uæritur primo; Qualis pro-
batio sufficiat tam pro foro
interno, quam pro externo ad dissol-
venda Sponsalia?

Respondeo cum Con. dub. II., &
aliis communiter, pro foro interno
quamlibet probationem moraliter cer-
tam sufficere; quia in moralibus ad
operandum exigi nequit major certi-
tudo. Notat autem Sanch. lib. I. disp.
69. ad certitudinem hanc moralem
habendam non requiri, ut nulla sit
opinio contraria, sed satis esse, ut jux-
ta opinionem vere probabilem detur
causa sufficiens ad dissolvenda sponsa-
lia;

G 2 lia;

lia; Nam in moralibus ad operandum haec dicitur certitudo, cum satis sit, ut quis tuto operetur, amplecti opinionem probabilem, Quare si, verbi gratia, vir doctus (qui opinionem probabilem faciat) afferat dari causam sufficientem ad sponsalia dissolvenda, aut si testis fide dignus omni exceptione major de certa scientia testetur, verbi gratia, sponsæ fornicationem, & nulla suspicio mendacii subsit, procul dubio potest Sponsus a Sponsalibus resiliere, nixus sine opinioni probabili viri docti, sine certitudini morali talis testis. Quod tamen intelligendum, nisi ex dissolutione Sponsalium scandalum sequatur; si enim scandalum sequeretur, ad Judicem recurrentum est. Quod si causa sit occulta, ne infametur alter apud Judicem, monendus ille erit privatim, ut a petendo matrimonio desistat, & sic infamiam deviter. Quod si desistere nolit, aut nihil per admonitionem speretur, res tota poterit ad Tribunal Judicis deferri: Quilibet enim potest vitia occulta alterius detegere in propriam defensionem; Sicut possumus latronem occultum denunciare ad vitandum damnum proximi. Eodem modo, quando causa est dubia, nemo potest propria auctoritate Sponsalia dissolvere, sed ad Judicem recurrentum est.

II. Pro foro autem externo, ut Judex dissolvat Sponsalia ob impedimentum aliquod matrimonii, sufficit vel unus testis fide dignus juratus, vel fama de tali impedimento, ut supra diximus; cum enim agatur de peccato vitando, quod Sponsi committerent, si cum tali impedimento matrimonium contraherent, satis est unus testis juratus. Quod si causa, quæ ad sponsalium dissolutionem allegatur, non sit aliquod impedimentum dirimens matrimonium, sed sit id, quod alteri dat jus ad resiliendum,

ut est, verbi gratia, fornicatio sponsæ, tunc non satis est unus testis juratus, sed requiruntur duo testes omnini exceptione majores, ut notant Sanch. & Con. Sicut etiam duo testes requiruntur ad dissolvendum matrimonium contraetum, seu ad declarandum matrimonium contractum fusse nullum ob impedimentum dirimens. Ratio disparitatis est, quia in primo casu agitur tantum de peccato vitando; at in his casibus agitur de peccato probando, & de prajudicio tertii, ad quod duo saltem testes requiruntur, ut in communis ordine judiciorum.

III. Quæritur secundo; Quinam Judex cogere possit sponsum renuentem ad servandam fidem sponsalium datum?

Respondeo, Ecclesiastico Judici id competere, ut communiter docent; quia ad Judicem Ecclesiasticum spe&tat cognoscere, & judicare de Sacramento matrimonii, ad quod tendit contraetus sponsalium. Potest etiam Judex secularis cogere sponsum ad sponsalia etiam jurata servanda, ut docent etiam communiter Doctores cum Sanch. disp. 29.; quia universem Judex secularis cogit ad aliorum contractuum fidem non violandam, etiam si juramento illi firmati sint; ergo etiam ad servanda sponsalia iurata; Quod pariter ex usu, & praxi constat.

Notandum tamen, quod non sit cogendus injuste resiliens ad sponsalia implenda, quando Judex arbitratur ex invitis nuptiis gravia mala, & scandala timeri, qualia sunt perpetuæ rixæ, desertio uxoris, vel quod coetus ficte contrahat. Ita communiter apud Perez ex cap. Ex literis de sponsalibus; ubi dicitur, Renuens esse censura compellendus, nisi rationabilis causa obsuerit.

IV. Notat etiam Sanch. lib. I. disp. 61.

Spon.
Itis ju-
stes o-
notant
luo te-
m ma-
decla-
am fusi-
mens,
primo
vitan-
le pec-
io ter-
requi-
e judi-
uinam
enmen-
salam
dici id
cent;
n spe
Sacra-
tendit
etiam
im ad
a, ut
ctores
versim
n con-
i, et
t; et
jura-
prau-
on fr
ponsa-
bitra-
la, &
petua
i coa-
uniter
spon-
e cen-
abilit
disp.
L

61., solum Papam, tamquam supremum spiritualem Judicem, posse in sponsalibus ex gravi causa dispensare, non vero Episcopum; eo quod per sponsalia jus Tertio acquisitum sit:

Qua de causa negant communiter Doctores, quod possit Episcopus relaxare juramentum in præjudicium Tertii. Atque hac de sponsalibus.

Q U A E S T I O III.

De Matrimonio secundum se, ejusque Institutione,
Indissolubilitate, & Unitate.

Matrimonium dictum est, ut ait Glossa, a Matre, quia mulier nubit, ut mater fiat, & est quasi Matri munus, seu munus, cum per illud imponatur foemina munus generanda, & educanda proli. Potius a matre appellatur, quam a Patre, quia illa certior est in generatione; unde etiam proles ex matre contrahit conditionem servi, vel liberi. Alii Matrimonium interpretantur, quasi matrem muniens, quia uxor per matrimonium acquirit virum, a quo defendatur, & muniatur.

Matrimonium alio nomine appellari solet connubium, Conjugium, Nuptiae. Dicitur connubium, & Nuptiae a nubendo, vel velando, aut quia mulier ex antiquissima consuetudine velo, quasi nube operiebatur, ut se viro inferiore, & subditam ostenderet; aut quia ob novam cærementiam Ecclesia ve- lamine quodam teguntur conjuges, quando ab Ecclesia benedictionem accipiunt. Dicitur vero Conjugium, quia est conjunctio duorum, qui sub eodem jugo societatis perpetuo copulantur, ita ut efficiantur una caro. Exam- nibimus hic primo, Quid sit matrimonium, inquantum est contractus, & inquantum est Sacramentum: Secundo ejus institutionem: Tertio indissolu- bilitatem, & unitatem.

ARTICULUS I.

Quid sit Matrimonium, inquan-
tum contractus, & inquan-
tum est Sacramentum?

- I. Matrimonium, inquantum est contra-
ctus, est causa efficiens matrimonii
sumpti pro vinculo indissolubili, seu
pro mutuo iure conjugum.
- II. Matrimonium formaliter sumptum
non est mutuus consensus conjugum,
sed est vinculum, quod ex eo can-
satur.
- III. Potest hujusmodi vinculum dari di-

vinitus sine consensu conjugum.

IV. Non est Sacramentum Matrimo-
nium sumptum formaliter pro vin-
culo, sed sumptum causaliter pro
contractu.

V. Si conjuges Religionem ingrediantur,
remaneat vinculum, seu dominium
mutuum in corpora, sed impedi-
tum.

VI. Beatisima Virginis cum D. Josepho
Matrimonium qua ratione consiste-
re poterat cum utriusque voto Vir-
ginitatis?

VII. Quenam sit Matrimonii definitio?
VIII. Quodnam Matrimonium de facto
sit Sacramentum? Ecclesia mate-
riam

- riam, & formam hujus Sacramenti a Christo Domino institutam immutare non potest: Solum mutare potest leges contractus.
- IX. Inter Baptizatos consistere nequit Matrimonium, quin sit Sacramentum. At quid si velint contrahere, non tamen Sacramentum suscipere?
- X. Matrimonium per Procuratorem celebratum est verum Sacramentum, quod a Principali, non a Procuratore suscipitur. Illud tamen laudabiliter in presentia conjugum renovatur.
- XI. Sacramentum Matrimonii qua ratione dicatur unum numero in duobus; & an illud sit in solo Baptizato, quando hic contrahit cum Infideli?
- XII. Si duo conjuges Infideles baptizantur, ratificando contractum matrimoniale, suscipiunt Sacramentum matrimonii, quin debeant ipsum coram Parocho, & Testibus ratificare.
- XIII. Hujus Sacramenti Minister non est Parochus, sed sunt ipsi contractantes. Materia vero, & forma non sunt corpora conjugum, sed materia est viriusque consensus, qui, quatenus importat mutuam corporum traditionem, habet rationem materiae, quatenus vero importat mutuam acceptationem, habet rationem formæ.

I. **Q**uæritur primo; Quotupliciter sumatur Matrimonium? Respondeo, matrimonium dupliciter sumi; Primo pro ipso contractu, quo sponsi tradunt sibi mutuo corporis dominium; Secundo pro ipso vinculo, seu mutuo jure, & dominio corporum, quod ex tali contractu inter conjuges nascitur. Matrimonium primo modo sumptum, seu inquantum est contractus, est causa

matrimonii sumpti secundo modo, seu inquantum est vinculum; ut constat ex Florent. in Epistolis Eugenii; ubi dicitur, *Causa efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de praesenti expressus;* Unde fit, quod contractus matrimonii causat vinculum; etenim ex Apost. 1. ad Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir: similiter etiam & Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* In hac itaque mutua potestate, seu dominio habetur vinculum causatum a contractu matrimoniali.

II. Quaritur secundo; In quonam consistat essentia matrimonii?

Respondeo, Matrimonium formaliter sumptum non consistere in contractu, sed in dicto vinculo, seu mutuo dominio corporum, cui respondeat mutua obligatio reddendi debetum: Sicut enim in professione Religiosa contractus causat vinculum, seu statum Religiosi permanentem, per quem aliquis constituitur formaliter Religiosus; Et sicuti Electio, verbi gratia, Pontificis, aut Imperatoris causat potestatem permanentem Electi erga subditos; in qua formaliter contulit dignitas Pontificalia, aut Imperatoria: ita pariter contractus matrimonialis causat vinculum illud, seu mutuum jus in corpora, in quo formaliter consistit matrimonium.

III. Hinc sequitur, quod sine consensu conjugum, & sine contractu possit divinitus dari verum matrimonium; si scilicet Deus daret Petro, & Bertæ mutuum jus in corpora: Sicuti potest Deus Pontificem constitutere sine ulla electione Cardinalium, dando alicui immediate potestatem Pontificiam, ut notant Con., Henr., Perez disp. 14. sect. 6. contra Sanch. & alios.

IV. Oppones primo; Matrimonium est Sacramentum, atque adeo signum sensibile, & physicum; ergo non

modo, ut con-
genii ;
rimoni;
de pra-
d con-
ulum ;
uth. 7.
on ba-
& Vir
; sed
otella-
nium
niali.
uonam
ormali-
1 con-
eu mu-
elpon-
i deb-
ne Re-
lulum,
item ,
orma-
, ver-
pera-
entem
rmali-
, aut
ractus
illud ,
quo
m .
con-
trafu-
rimo-
etro,
pora-
onli-
lulum,
facem
ent,
anch,
rimo-
adeo
ergo
on

non potest constitui per dictum vinculum, quod est aliquid morale.

Respondeo cum Perez disp. 30. sect. 1., matrimonium formaliter sumptum non esse Sacramentum, sed solum causaliter sumptum matrimonium esse Sacramentum constitutum per consensum mutuum exterius expressum, qui a Florent. dicitur esse causa efficiens matrimonii. Ratio est primo, quia inter Sacraenta novæ legis sola Eucharistia est Sacramentum permanens juxta omnes Theologos; Matrimonium autem formaliter sumptum, cum sit quid indissolubile, est pariter permanens: ergo Matrimonium formaliter sumptum non est Sacramentum, & consequenter solum Matrimonium causaliter sumptum est Sacramentum transiens. Secundo, quia ex Florentino in literis Eugenii, Omne Sacramentum est institutum, ut suo usu ex opere operato suo modo sanctificet; atqui usus matrimonii sumpti pro vinculo, idest usus conjugii, non sanctificat ex opere operato, sed solum sanctificat usus matrimonii sumpti pro contractu; dum enim conjuges contrahunt, suscipiunt gratiam Sacramentalem matrimonii; ergo solum matrimonium sumptum causaliter pro contractu est Sacramentum.

V. Oppones secundo. Potest contingere, quod, perseverante matrimonio, non perseveret in utroque conjugi obligatio reddendi debitum; ergo falsum est, quod matrimonium consistat in illo vinculo, seu mutuo dominio corporum, & ei corrispondente obligatione. Antecedens patet, quia si conjuges mutuo consensu profiteantur in Religione, perseverat quidem matrimonium, sed non tenentur, nec possunt licite reddere debitum.

Respondeo cum Con. negando consequentiā; In casu enim in argumento adducto, cum perseveret

matrimonium, perseverat etiam vinculum, seu dominium mutuum corporum, quanivis impeditum, ita ut non valeat exire in actum: Sicuti si quis omnem operam sui mancipii alteri elocasset, perseveraret dominium erga mancipium, sed dominium esset impeditum; unde non posset Dominus, invito Conductore, aliquod opus tali servo imperare, nec ille teneretur obedire. Præterea sicut in Societate Jesu cum voto simplici paupertatis post biennium emisso stat verum dominium bonorum, impedito eorum usu in perpetuum per tale votum; ita in casu adducto Conjuges habent verum dominium mutuum corporum, impedito tamen usu conjugali in perpetuum per vota religionis. Quod ex eo constat, quia si Pontifex dispensaret in votis Religionis, sine novo contractu, illi remanerent conjuges, ut prius: Unde fit, quod si absque dispensatione in votis copularentur inter se, talis copula non esset fornicaria, (quia non esset accessus ad non suam) sed solum esset sacrilega.

VI. Ex quibus aperte colligitur, Matrimonium Beatissimæ Virginis fuisse verum, & legitimum matrimonium ratum, ita ut Angelus dicere potuerit Josepho: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*; quamvis communiter Doctores cum August. lib. de Virginit. cap. 4. doceant, Beatissimam Virginem ante Annunciationem emississe votum virginitatis; unde dixit Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* hoc est, non possum cognoscere virum propter votum: Et forte etiam D. Joseph idem votum emiserat, ut multi censem. Uterque itaque consentit in matrimonium cum contraetu subinsero obligandi se ad non petendum debitum, & sub conditione servandæ virginitatis; Unde habuerunt solum obligacionem

nem radicalem ad copulam , quæ obligatio , seu vinculum & matrimonii constituit , & stare potuit cum voto virginitatis , & cum odio positivo copulae ; non enim ad illam proxime obligabantur , nisi in eventu , quod Deus dispensaret in voto emisso , & ipsi sponte contractum illum subinsertum rescinderent .

Neque dicas : Matrimonium , ut notat Less , non consistit in mutuo dominio conjugum ; cum conjuges non sint invicem servi , sed in jure utendi corpore conjugis solum in ordine ad opus conjugii : ergo si matrimonium Beatæ Virginis contractum fuit sub conditione , ut neuter utatur corpore alterius , per tale matrimonium uterque habuit jus , ne sibi tamquam debitus petatur usus corporis : ergo neuter habebat jus ad usum corporis alterius ; unde non habebatur verum matrimonium consistens in tali jure .

Nam , ut diximus , neuter habebat jus proximum , sed uterque habebat jus radicale , & remotum , in quo consistit essentia matrimonii . Quod ex eo patet ; quia vi talis matrimonii neuter conjux poterat cum altero nubere , & si cum altero commisceretur , adulterium committeret ; Quod dici non posset , si matrimonium esset nullum ; aut si matrimonium non consisteret in solo mutuo dominio radicali corporum . Id autem hoc exemplo illustratur ; Si tu des domum Titio sub conditione , quod non violet votum , quod habet non habitandi in illa , certe Titius est dominus domus , quamvis non habeat jus proximum habitandi in illa ; unde si habitaret , violando votum , peccaret tum contra votum , tum etiam contra iustitiam ; quia tamen posita dispensatione talis voti , vere haberet jus proximum habitandi in ea domo , eo quod in tali casu non habitaret cum violatione voti , idcirco ante dispensa-

sionem voti habebat solum jus remotum habitandi in ea ; quod satis erat , ut diceretur dominus domus , possetque illam alienare , vendere , donare , & ad omnes alias usus de ea disponere . Idem dicas in casu nostro ; etenim tam Beata Virgo , quam D. Joseph dederunt invicem dominum corporum sub conditione servandi votum de non usu ; unde uterque habuit dominium radicale in corpore alterius , in quo consistit matrimonium .

Gratian apud Less docet , Beatam Virginem consensisse in obligationem ad reddendum debitum , petente D. Josepho ; sed quia ex Divina revelatione sciebat D. Josephum nunquam petiturum , idcirco castissima Virgo voti sui secura , volente , ac precipiente Deo , consensit in conjugium , & in obligationem illam . Hæc tamen sententia communiter rejicitur , quia quoties aliquid est prohibitum , tam peccat , qui illud ponit , quam qui cocontent in obligationem ad ponendum illud ; etiamsi certo sciat , quod nunquam sit futura occasio illud ponendi ; Exempli gratia , tam peccat , qui occidit hostem , quam qui vult se obligare ad illum occidendum , si occurrat , quamvis certe , & ex revelatione sciat hostem nunquam esse occursum . Alii alias vias inierunt ad conciliandum verum matrimonium Beataissimæ Virginis cum voto castitatis , de quibus fusius diximus in Cursu Theolog. disp. 2. de Justitia , & Jure quest. 2. ; ubi ostendimus , posse dominium rei plenum , ac perfectum leparari ab usufructu perpetuo : satis sit hic aliquid innuisse in obsequium Magistri matris .

VII. Quæritur tertio , Quomodo definiatur matrimonium ?

Respondeo , matrimonium sumptum pro contractu (in quo sensu apud fidèles est etiam Sacramentum) bene pos-

posse definiri, quod sit *Legitimus*, & *indissolubilis contractus inter virum, & fæminam*, quo traditur, & acceptatur *mutua corporum potestas*: Dicitur, *Contractus legitimus*, quia celebrari debet juxta leges suas: Dicitur, *Indissolubilis*, quia non potest dissolvi, ut cæteri contractus per consensum mutuum contrahentium, ut infra ostendemus. Dicitur, *Inter virum, & fæminam*, hoc est inter unum, & unam, repugnante polygamia ex institutione Christi Domini: Et quamvis in lege veteri potuisset idem vir habere plures uxores, non tamen eadem fæmina habere poterat plures maritos; quia proles esset incerta, & nemo maritorum teneretur illam educare. Dicitur denum, *Quo mutua potestas traditur, & acceptatur*; ut offendatur forma hujus contractus, & hujus Sacramenti, quo gratia sanctificans fidelibus confertur.

Ex hoc contractu oritur obligatio servandi tria bona matrimonii, vide licet bonum Prolis, Fidei, & Sacramenti; Datur enim obligatio servandi bonum prolis, seu non vitandi prolem positive medio illico, verbi gratia sumendo potionem sterilitatis, aut emittendo semen extra vas: Datur etiam obligatio servandi fidem, seu fidelitatem, hoc est non adulterandi: Datur demum obligatio servandi perpetuitatem, & indissolubilitatem Sacramenti, nisi alter ingrediatur religionem ante consummationem.

VIII. Quaritur quarto; Quodnam matrimonium est Sacramentum?

Respondeo, & dico primo; Matrimonium sumptum pro vinculo non est, nec sicut unquam Sacramentum; cum non sit signum sensibile, nec suo usu gratiam conferat. Neque dicas, a Patribus tale vinculum vocari Sacramentum: Nam vocatur Sacramentum late sumptum, quatenus significat conjunctionem Christi cum Ecclesi-

Pars VII.

sia, non vero quatentis est signum sensibile efficax gratia sanctificantis.

Dico secundo; Ante legem gratiæ matrimonium non erat Sacramentum antiquæ legis. Ita communiter Catholicæ; Trident. enim sess. 7. aperte docet esse Sacramentum proprium legis novæ: Quare in lege veteri non fuit institutum ad conferendam aliquam sanctificationem, sicut conferabant alia Sacra menta, sed institutum fuit in officium naturæ ad legitimam generis humani propagationem; Unde Adami conjugium dicitur Sacramentum late sumptum, quatenus significabat Christi cum Ecclesia conjunctionem.

Dico tertio; Sacramentum sumptum pro contractu maritali est verum, & proprium Sacramentum novæ legis. Ita Trid. sess. 24.

Neque dicas primo cum hæreticis: Multi conjuges christiani pejus vivunt, quam conjuges Infideles: ergo falsum est, quod matrimonium christianorum sit Sacramentum conferens gratiam: Nam contra est, quia sic etiam probaretur, quod nec Baptismus sit Sacramentum, eo quod multi baptizati pejus vivant, quam non baptizati. Quare Sacra menta dant gratiam bene dispositis, ut possint bene vivere, non tamen ad id cogunt.

Neque dicas secundo: Unum Sacramentum non pugnat cum alio; sed matrimonium pugnat cum Sacerdotio; ergo matrimonium non est Sacramentum.

Respondeo enim, Sacra menta hæc non pugnare ratione sui, cum possit conjugatus, uxore consentiente, ordinari; sed pugnant tantum ratione status, quem inducunt; Etenim Sacerdotes vacare debent Deo usquequaque: At ex Apost. 1. ad Corinth. 7. qui cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.

H He-

Neque dicas tertio ; Matrimonium potest contrahi cum pacto , quod certum pretium solvatur : ergo matrimonium non est Sacramentum , aliter eset simonia accipere pretium pro illo .

Nam respondeo , pretium posse accipi non pro Sacramento , sed pro matrimonio , inquantum contractus civilis est , ad sustinenda onera Matrimonii ; Sicuti pro calice consecrato potest accipi pecunia , non ratione consecrationis , sed ratione materiae .

Neque dicas quarto ; Si matrimonium eset Sacramentum , Ecclesia nihil circa illud posset immutare , sed immutavit ; nam fecit aliquos inhabiles ad contrahendum , instituendo impedimenta dirimentia , & statuit , matrimonium clandestinum esse invalidum ; ergo non est Sacramentum .

Nam communiter Doctores respondent , Ecclesiam non posse immutare materiam , & formam Sacramentorum a Christo Domino institutam ; unde non potest efficere , quin per legitimum contractum constituantur Sacramentum matrimonii : Potest tamen Ecclesia immutare leges contraetus , ut de facto fecit , statuendo , contractum matrimonii clandestinum non esse legitimum ; ex quo sequitur , quod non sit Sacramentum : Sicuti enim si Respublica statueret , quod non verbum , Baptizo , sed verbum , Amo , significaret ablutionem , forma Sacramenti Baptismi non eset , Ego te baptizo , sed eset , Ego te amo ; nec per hoc fieret , quod Respublica immutaret formam Sacramenti Baptismi institutam a Christo Domino , quae consistit in verbis significantibus ablutionem : Ita in calu nostro .

IX. Quæritur quinto ; An possit inter baptizates celebrari matrimonium sine Sacramento .

Respondeo negative . Ita Sanc. lib. 2. disput. 10. , Con. disp. 24. contra

Vasq. , Rebel. , Hurt. disp. 3. diff. 1. Ratio est , quia Christus Dominus omnem contractum matrimonialem inter baptizatos elevavit ad rationem Sacramenti : Cum Florent. , & Trid. absolute definiant contractum matrimoniale fidelium esse Sacramentum , nulla facta exceptione . Unde fit , quod qui absolute vellet contrahere matrimonium , & simul absolute nollet suscipere Sacramentum , vere matrimonium non contraheret ; quia sine voluntate suscipiendo Sacramentum nequit Sacramentum suscipi , & consequenter nec matrimonium contrahitur : Quod si quis absolute vellet contrahere matrimonium , sed nollet suscipere Sacramentum , eo quod putaret , separari posse contractum matrimoniale a Sacramento ; in tali casu & matrimonium contraheret , & Sacramento susciperet , eo quod nolitio suscipiendo Sacramentum sit conditionata , & inefficax ; volitio vero contrahendi matrimonium sit absoluta , & efficax : Quod fuse explicavimus in de Sacram. in genere art. 4. num. 9. ubi de intentionibus contrariis in Ministro Sacramentorum .

Oppones cum Perez disp. 19. sect. 10. Etiam ablutio cum sua forma constituit Sacramentum baptismi , nulla facta exceptione , & tamen si sine intentione suscipiendo baptismum adultus abluitur , ita abluitur , ut non suscipiat Sacramentum ; ergo etiam in calu nostro , si fiat contractus sine intentione suscipiendo Sacramentum , vere contractus celebratur , cum nihil illi desit , & tamen non suscipitur Sacramentum .

Respondeo negando , quod in tali casu contractus sit validus ; etenim sublata intentione suscipiendo Sacramentum , tollitur consequenter intentione faciendi contractum , cum hic ex institutione Christi debeat esse Sacramentum ; Unde fit , ut matrimonium sit

Si nullum, sive absit intentio faciens contractum, sive absit intentio suscipiendo Sacramentum.

X. Ex dictis sequitur contra Canum, Victor., Cajet., & alios apud eundem Perez, matrimonium per Procuratorem, aut per literas contractum esse verum Sacramentum, quod tamen a principalibus contrahentibus, non a Procuratore suscipitur. Ratio est manifesta, quia omnis contractus matrimonialis baptizatorum ex institutione Christi est Sacramentum; sed matrimonium per Procuratorem, sive per literas, aut intermuncium celebratum est verus, & legitimus contractus; ergo est etiam Sacramentum. Unde sequitur, quod contrahentes principales sub mortali teneantur curare, ut sint in gratia, dum Procuratores eorum nomine contrahant, ne sacrilege Sacramentum suscipiant. Et quamvis tunc forte dormiant, adhuc dormientes suscipere possunt Sacramentum, quod ante petierunt; ut certum est de Sacramento Extremæ unctionis, quod etiam a dormientibus, & lethargo oppressis suscipi potest. Nec refert, quod Sacramentum constare beat rebus, & verbis; Nam, ut dicemus quæst. 4. art. 1., ad Sacramentum matrimonii constitendum satis sunt signa sensibilia expressiva interni consensus; hæc autem signa sufficienter per Procuratores, tamquam per instrumenta Principium possent exprimi in hoc Sacramento, utpote instituto per modum contractus.

Neque dicas primo. Reliqua Sacra menta non possunt conferri inter absentes; ergo neque Sacramentum matrimonii; atque adeo, quando per Procuratorem celebratur, non est Sacramentum.

Nego enim consequiam; Disparitas est, quia solum matrimonii Sacramentum institutum est per modum

contractus, qui licite celebratur inter absentes per Procuratorem. Neque hinc fit, quod Sacramentum Pœnitentia institutum per modum judicij possit etiam absenti conferri. Nam Christus Dominus voluit in hoc Sacramento præsentiam Rei; non enim per formulam, Absolvo te, significari potest, & demonstrari, nisi homo præsens.

Neque dicas secundo: Si matrimonium per Procuratorem celebratum esset Sacramentum, non daretur ratio, quare deinde contractus renovaretur in præsencia contrahentium; esset enim repetitio Sacramenti sacrilega; sed renovatur; ergo non est Sacramentum. Negatur enim sequela. Nam cum quilibet contractus ex natura sua sit renovabilis, & Sacramentum matrimonii sequatur leges contractus; hinc renovari potest non quidem Sacramentum, sed contractus. Et laudabiliter renovatur in præsencia contrahentium matrimonium per Procuratorem celebratum, tum ad tollendos scrupulos; tum etiam, ut suppleantur solemitates omisæ; tum demum, ut si forte fuerit invalidus prior contractus ex defectu consensus, fiat validus per secundum, & Sacramentum recipiatur. Quod tamen fieri non potest in reliquis Sacramentis non institutis per modum contractus, ut notat Sanch. apud Bonac. quæst. 2. punct. 5. Potest quidem circa eadem peccata remissa Sacramentum pœnitentia renovari, ut diximus in de pœnitentia, & constat ex usu fidelium; non potest tamen Sacramentum matrimonii, renovato contractu, renovari; cum sit relate ad eundem conjugem irreiterabile; Sicut in eodem morbo irreiterabilis est Extrema unctionis ex institutione Christi Domini.

XI. Quæritur sexto; Utrum Sacramentum matrimonii sit unum numero in utroque conjuge, an vero duplex?

Respondeo, esse unum numero. Ratio est, quia ipse contractus est elevatus ad rationem Sacramenti; sed contractus est unus numero inter duos: ergo etiam Sacramentum. Nec mirum esse debet, quod unum accidens morale sit in duobus; Nam una numero potestas eligendi Pontificem, verbi gratia, est in toto Collegio Cardinalium.

Ex hac doctrina, quæ communiter admittitur, infert Sanch. lib. 2. disp. 8., Con., & Perez, quod si Christianus ex dispensatione Pontificis contrahat matrimonium cum non baptizata, neuter Sacramentum recipiat; cum enim altera pars sit incapax Sacramenti, & hoc Sacramentum non possit esse nisi unum numero in duobus, videtur sequi, quod neuter Sacramentum recipiat. Sed magis arredit opinio Bonac. quæst. 2. punct. 2., qui cum Sot., & Valsq. docet, quod Sacramentum matrimonii in eo sensu dicatur unum numero in duobus, in quo sensu omnes ordines dicuntur esse unum numero Sacramentum, vide-licet unum adæquatum; Sicut etiam species panis, & vini sunt unum numero adæquatum Sacramentum Eucharistiae. Ex quo fit, quod, si contrahat matrimonium baptizatus cum non baptizata, possit solus baptizatus suscipere Sacramentum. Et sane videatur benignitati Christi Domini consonum, quod ita Sacramentum hoc instituerit, ut noluerit privare talem baptizatum gratia hujus Sacramenti; quamvis potuisset aliter illud instituere, ita ut neuter in hoc casu Sacramentum susciperet.

Neque hinc sequitur, quod si duo fideles contrahant matrimonium, & alter intendat suscipere Sacramentum, alter vero non, ille tantum Sacramentum suscipiat; Nam, ut notat Con., in hoc alio casu neuter suscipit Sacramentum, quia non habetur con-

tractus constitutivus Sacramenti: Et enim, ut supra diximus, fidelis, qui absolute non vult suscipere hoc Sacramentum, absolute non vult contrahere; contractus autem non habetur, quando alter non vult contrahere, atque adeo nec Sacramentum.

XII. Quæritur septimo; An si duo conjuges infideles, uterque, vel alteruter baptizetur, quando deinde per signa externa ratificant contractum matrimoniale, tunc suscipiant Sacramentum matrimonii?

Respondeo affirmative; Consonum enim est benignitati Christi Domini, quod ita hoc Sacramentum instituerit, ut ad illud constituendum satis sit quilibet contractus matrimonialis inter baptizatos, sive talis contractus primo ponatur post baptismum, sive contractus primo positus ante baptismum deinde post baptismum renovetur: Aliter conjuges infideles ad Baptismum reducti debeant semper carere gratia hujus Sacramenti. Ita Bonac., Bellarm., Henr. contra Perez, Con., Ledesm., Verum Sanch. putat, matrimonium istorum tunc effici Sacramentum, quando suscipiunt Baptismum, etiamsi per signa externa non renovent priorem contractum matrimoniale; quia sicut per baptismum fit indissolubile matrimonium Infideli, ita fit Sacramentum.

Notandum hic ex Bonac., quod conjuges infideles, quando suscipiunt baptismum, non debeant consensum matrimoniale renovare coram Parocho, & testibus, ut matrimonium fiat Sacramentum. Ratio est, quia Trid. requirit assistentiam Parochi, & testium ad valide contrahendum matrimonium; Cum autem in casu nostro supponatur jam valide contractum fuisse matrimonium ante Baptismum, ut renovatio talis consensus evadat Sacramentum, non est opus, ut fiat coram Parocho, & testibus.

XIII.

XII. Quæritur ultimo; Quænam sit materia, forma, & minister hujus Sacramenti?

Respondeo, quod attinet ad ministrum, putasse Canum lib. 9. cap. 5., quod iste sit Sacerdos dicens: Ego vos conjungo in matrimonium; ita ut hæc verba sint etiam forma talis Sacramenti; Sed communiter tamquam improbabilis rejicitur hæc sententia; Nam Trident. sess. 24. expresse docet, etiam matrimonia clandestina sine Sacerdote celebrata fuisse olim vera, ac rata matrimonia, atque adeo habuisse rationem Sacramenti; siquidem juxta locutionem ejusdem Trident., & juxta sensum Ecclesiæ, idem est, matrimonium esse ratum, ac esse Sacramentum. Qare Sacerdos non requiritur ad Sacramentum ministrandum, sed ad certam cæremoniam Ecclesiæ; nec conjuges per Sacerdotem, sed per mutuum consensum conjunguntur: Unde verba illa, Ego vos conjungo, idem sonant, ac Ego vos declaro conjunctos; Quod ex eo etiam patet; quia in communissima sententia, quando matrimonium est invalidum ex aliquo impedimento dirimente, vel ex defectu consensus, ut fiat validus, fas est, si tollatur impedimentum, ac suppleantur defectus renovato consensu, etiamsi tunc non assistat Parochus; quod fieri non posset, si Minister Sacramenti esset Sacerdos, cum sine Ministro Sacramentum conferri non posset.

Nec requiritur Sacerdos, ut Sacramentum conferatur a Persona Sacra. Nam sicut Baptismus etiam a laico, & infidieli potest valide conferri; ita potest etiam a Persona non sacra conferri Sacramentum Matrimonii. Ceterum itaque est, ipso contrahentes baptizatos esse Ministros hujus Sacramenti. Ratio est, quia hoc Sacramentum ex institutione Christi non distinguitur a contracitu: ergo si contrahentes po-

nunt constitutiva contractus, ponunt etiam constitutiva Sacramenti, atque adeo sunt Ministri.

Hinc multi recte cum Hurt., Pont., Perez inferunt, quod contrahentes matrimonium in mortali duplex peccatum committant, alterum, in quantum indigne ministrant, alterum, in quantum indigne suscipiunt Sacramentum. Quod tamen non admittit San-ch, lib. 2. disp. 2., & alii putantes, solum Ministrum consecratum peccare mortaliter ministrando indigne Sacramentum; ut est Sacerdos absolvens. Sed immerito: quilibet enim Minister Sacramentorum, sive consecratus, sive non consecratus debet ex præcepto naturali conformari cum Deo auctore Sacramentorum, ac Sanctificationis, necnon cum ipsa Sacramentorum sanctitate, debetque sancte sancta tractare. Concedo autem, quod Sacerdos non peccet mortaliter, si cum peccato mortali assistat matrimonio, cum ipse nec ministret, nec recipiat Sacramentum.

Quod attinet ad materiam, & formam hujus Sacramenti; Neque placet primo sententia adducta Cani putantis, verba contrahentium esse materiam, & verba Sacerdotis esse formam: Neque secundo Navar., & Sylv. apud Con., quod internus consensus contrahentium sit materia, & verba sint forma; Nam materia Sacramentorum non potest esse adequate insensibilis; quandoquidem ex illa simul cum forma constitui debet signum sensibile adæquatum. Neque tertio Majoris, quod verba sint materia, & internus consensus forma, propter eandem rationem. Neque quarto Victor., & Vega, quod verba ab uno prius prolatâ sint materia, & verba alterius sint forma. Nam si simul ea proferrentur, non daretur materia, & forma. Neque demum Sot., & Covar., quod corpora con-

tra-

trahentium sint materia, & verba sint forma. Nam Sacramentum matri monii esset quid permanens, sicut Sacramentum Eucharistiae. Adde, quod contractus matrimonii non distinguitur a Sacramento, posita institutione Christi Domini; contractus autem non constituitur per corpora, sicuti nec emptio equi, exempli gratia, constituitur per equum emptum, sed per mutuum consensum, qui pariat obligationem: ergo nec Sacramentum constituitur per corpora. Quare corpora conjugum in hoc Sacramento sunt solum materia, circa quam, & remota, non proxima; sicut peccata in Sacramento Pœnitentia sunt materia remota, non proxima.

Dicendum itaque cum Suar., Sanchez., Rebel., Con., & aliis communiter, hujus Sacramenti materiam esse utriusque conjugis consensum signis externis expresum, prout significantem mutuam corporum traditionem; formam vero esse eundem consensum, prout significantem mutuam corporum acceptationem. Ratio est, quia omnis promissio, vel traditio, donec acceptetur, est ex se inefficax, & indeterminata, ut rata potius sit, quam irrita; per acceptationem vero determinatur ad esse ratam, & fit efficax ad producendam obligationem: ergo in contractu matrimoniali traditio habet rationem determinabilis, seu materiae; acceptio vero dominii in corpora habet rationem determinativi, seu formæ.

ARTICULUS II.

De Institutione Matrimonii.

- I. Ex lege positiva divina videtur institutum. Matrimonium, in quantum est contractus.
- II. Præceptum nubendi videtur esse naturale, & obligare omnes viage,

hoc est singulos urgente necessitate.
III. Quem finem intendere debent contrahentes, ut valide, ac licet contrahant?

IV. Quamvis licite intendi possit per matrimonium remedium concupiscentiae, & propter fines extrinsecos honestos celebrari; illiciumtamen est præcise propter deletionem carnalem velle nubere.

V. Sicut non est licitum, nec vacanialis culpa opus conjugii ob silen voluptatem exercere; ita parum est illicitum præcise propter tandem velle nubere.

VI. Ex traditione Apostolica habemus, quod Christus Dominus matrimonium ad rationem Sacramenti elevaverit.

VII. Probabilius hoc Sacramentum a Christo Domino post resurrectionem institutum fuit.

I. **A**gendum primo de institutione matrimonii, quatenus contractus est; Deinde quatenus est Sacramentum; Inquirendo Quisnam illud instituerit? Quando? Et quem ad finem?

Quæritur itaque primo, A quonam fuerit institutum matrimonium in ratione contractus, & quando?

Respondeo, certum omnino esse, quod Deus fuerit matrimonii Institutor; quamvis dubium sit, Num fuerit ejus Institutor, inquantum est Author naturæ, an vero ex positiva aliqua ordinatione? Evidem censeo cum Suar., Con., Perez, & aliis contra Hurt. disp. 4., Deum per veram, ac propriam legem instituisse matrimonium; ejus vero unitatem, & indissolubilitatem esse quidem naturæ humanae consonam; non tamen ita ut non potuerit in iis Deus dispensare. Ratio est, quia antiqui Patres licet contraxerunt unus cum pluribus uxoriibus; Et Hebreis licitum fuit repudiare;

dium ; ergo non ex lege naturali indispensabili institutus fuit contractus matrimonialis inter unum , & unam indissolubilis , prout explicabimus articulo sequenti . Quamvis autem negari non possit , quod natura humana inclinans ad sui propagationem , & perpetuitatem in sua specie , cum non possit in individuo , inclinet pariter ad matrimonium ; Quia tamen homo in quantum rationalis inclinat etiam ad virginitatem , & celibatum , qui sunt actus virtutis præstantissimæ , id eo speciali ratione , & lege positiva instituendum erat matrimonium , & forte obligandus erat Adam ad illud , ne non communitas hominum , ne genus humanum extingueretur .

Dubium etiam est ; an jus naturæ obliget communitatem ad matrimonium ?

Respondeo , Con. docere , nullum esse , nec fuisse præceptum , aut jus naturæ obligans ad matrimonium . Probat primo , quia si hoc esset , talis obligatio esset in singulis . Secundo , quia si in Adamo , & in nobis fuisset obligatio naturalis propagandi genus humanum , deberet dari pariter obligatio naturalis servandi virginitatem ; nam ideo dicimus dari obligationem naturalem ad matrimonium , quia natura inclinat ad illud ; atqui multo magis natura inclinat ad virginitatem , quæ magis conducit ad finem ultimum hominis , ut patet ex I. ad Corinth. 7. , ubi dicitur : *Qui cum uxore est , solitus est , quæ sunt Mundi , quomodo placeat uxori , & divisus est : ergo .*

II. Verum communiter docent cum D. Th. , Vsq. , Sanch. l. 2. disp. 3. , præceptum nubendi esse naturale , & obligare omnes vase , hoc est singulos , urgente necessitate . Ratio est , quia si datur præceptum naturale de cibo sumendo , ne pereat individuum humanum , a fortiori dari debet præ-

ceptum naturale de matrimonio , ne pereat species humana . Hinc fit , Protoparentes ex lege naturali obligatos fuisse ad matrimonium , & præcepto Dei positivo ; non secus ac ad præcepta Decalogi utroque jure tenemur , naturali , & positivo .

Ad primam rationem Con. respondeatur , quod obligatio hæc non sit in singulis hominibus , sed in omnibus vase ; ita ut singuli tunc obligentur , quando adest necessitas ; isthac enim obligatio satis est , ne species humana pereat . Ad secundam dico , quod urgente necessitate natura magis inclinat ad matrimonium , quod est bonum commune , quam ad virginitatem , quæ est bonum , & commodum particulare . Virginitas autem semper est materia consilii , non præcepti ; quia licet magis conducat ad ultimum finem hominis , habet tamen suam arduitudinem propriam talis virtutis , ad quam Deus noluit nos obligare .

Circa tempus , quo matrimonium institutum fuit , communiter Doctores cum Sanch. lib. 2. disp. 4. docent , matrimonium institutum simul , ac præceptum fuisse a Deo jure positivo , quando dixit nostris Protoparentibus Genes. 1. *Crescite , & multiplicamini , & replete Terram : Sicut similibus verbis institutum simul , & præcepit Christus Dominus Sacramentum Eucharistia , quando dixit : Hoc facite in meam commemorationem . Nonnulli tamen cum Con. docent , institutum a Deo fuisse matrimonium , quando immisit soporem in Adam , & ex ejus latere Evam formavit ; tunc enim videtur Deus revelasse naturam , & finem matrimonii Adamo ; siquidem expergescatus dixit : Propter quod relinquet homo Patrem , & Matrem , & adhærebis Uxori sue , & erunt duo in carne una , scilicet per copulam conjugalem , ut explicatur in Cap. Debitum de Bigamis .*

III. Quæ-

III. Quæritur secundo; Quem finem intendere debeant contrahentes matrimonium, ut valide, & licite illud contrahant?

Respondeo, & dico primo; Ut valide matrimonium contrahatur, necessario contrahentes intendere, seu velle debent translationem dominii corporum ad usum conjugalem, & se ad illum obligare obligatione radicali, ut diximus art. sup. Præterea ad validitatem matrimonii requiritur, ut contrahentes non habeant intentionem se obligandi contra tria illa bona matrimonii, scilicet Prolis, Fidei, & Sacramenti; quare invalidum est matrimonium, si contrahant cum pacto, & obligatione aut vitandi positive prolem, sumendo pharmacum sterilitatis, vel emittendi semen extravas, quod est contra bonum prolis; Aut cum pacto non servandi fidem conjugalem, seu adulterandi, quod est contra bonum fidei; Aut demum cum pacto, & obligatione dissolventi in aliquo casu matrimonium, quod est contra bonum Sacramenti: (hoc tertium tamen intelligendum est de matrimonio baptizatorum, quod ratione Sacramenti habet indissolubilitatem) Quod si quis vellet obligare se, verbi gratia, ad fidem conjugi servandam, & simul vellet etiam post matrimonium adulterari, hoc in pactum non deducendo, valide contraheret matrimonium: Potest enim stare, quod quis velit obligari ad aliquid faciendum, & simul nolit illud facere; sicut potest quis vovere castitatem, & simul velle violare votum.

IV. Dico secundo; Licite matrimonium contrahitur, non solum si per illud intendatur generatio prolis, quod est certum, cum hic sit finis præcipuus matrimonii; sed etiam si præcise intendatur remedium concupiscentiarum; esto etiam ex honesto fine optetur generationem non sequi. Ita Hurt,

Con., Perez contra Sanch., Sot Ratione est, quia talis finis honestus est, & proprius talis contractus; quamvis solum secundario ad eum finem natura sua ordinetur matrimonium. Hinc Apost. 1. ad Corinth. 7. dicit: *Propter fornicationem autem unusquisque suam Uxorem habeat, & unaque que suum virum;* significans hoc unicó fine licitum esse matrimonium contrahere. Et sane, si ad vitandam fornicationem in altero conjuge, concedunt omnes, licitum esse contrahere cum illo matrimonium, a fortiori licitum est ad vitandam fornicationem in se ipso.

- Neque dicas cum Sanch., esse aliquam inordinationem, quamvis levem, ordinare matrimonium unice ad finem illius secundarium, quando potest ordinari ad finem primarium. Nam contra est, quia si juvenis sterilis, sicut etiam senex, ut concedunt omnes, possunt inire matrimonium unice in remedium concupiscentiarum; quare non etiam juvenis fecundus? Etenim si ratio exigeret, ut in matrimonio intendatur finis ejus principialis, qui est prolis generatio, tam est illicitum sterili, quam secundo matrimonium inire, intendendo unice remedium concupiscentia.

Dico tertio; Licitum etiam est inire matrimonium ob alios fines extrinsecos, dummodo honestos; verbi gratia propter pacem, divitias, nobilitatem, vel ob motivum tuendae, seu restauranda salutis. Ita Doctores citati contra Angel., Navar., Covar, & alios apud Con. disp. 24. dub. 2. Ratio est, quia in hoc nulla appetet inordinatio. Aliter senes, qui nec possunt generare, nec patiuntur stimulos carnis, licite non possent contrahere matrimonium; cum per illud nec intendant prolis generationem, qui est finis intrinsecus primarius, nec remedium concupiscentiarum, qui est finis matri-

matrimonii intrinsecus secundarius. Quare solum propter fines illos extrinsecos licitum est iis nubere.

Neque dicas, inordinationem aliquam esse ordinare Sacramentum ad fines temporales extraneos.

Nam primo, non ordinatur matrimonium ad tales fines in quantum Sacramentum est, sed in quantum est contractus. Secundo, ut notat Hurt, qui ordinat Sacramentum ad hos fines extrinsecos, non irrogat injuriam Sacramento, dummodo positive non excludat finem recipiendi gratiam, quem nemo excludit; Sicuti non irrogat injuriam Sacrificio Missæ, qui illud ordinat ad obtainendam salutem, vel stipendium, dummodo non excludat positive finem illius primarium, qui est cultus divinus.

Dico ultimo: Illicitum est contrahere matrimonium præcise ob capiendam delectationem carnalem. Ita Con. disp. 25. seet. 2., & alii communiter. Ratio est clara, nam quicquid aliqui prius senserint apud Sanch. lib. 9. disp. 11.) nunc damnata est propositio 9. ab Innoc. XI. dicens: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omnipenitus caret culpa, ac defectu veniali:* ergo si illicitum est uti matrimonio ad hunc finem, illicitum pariter est ad hunc finem matrimonium contrahere. Verum quidem est, quod docet Sanch. loc. cit., delectationem actui conjugali annexam non esse de se malam, nec esse peccatum ullum velle illa frui, quando non procuratur nimius excessus voluptatis; sicuti nec est peccatum velle frui delectatione, quam in ciborum esu apposuit natura; nisi pariter excessus procuraretur. Nihilominus etiam verum est, quod Sanch. ibidem cum innumeris Auctoribus docet, esse culpam venialem exercere actum conjugii præcise ad capiendam voluptatem tali actui annexam. Quod patet primo ex

Pars VII.

doctrina August., qui cap. 6. de bono conjugali hæc habet: *Conjugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentia vero satianda, tamen cum conjugi, venialem.* Secundo, quia bonum delectabile, quod est naturæ sensitivæ consonum, non potest re&e esse finis operationis humanae, sed solum bonum honestum, quod est conforme naturæ rationali. Tertio, quia abusus rei est, querere actum propter delectationem illi adjunctam, cum delectatio sit propter ipsum actum, non vero actus propter delectationem illi adhaerentem. Demum, quia delectatio annexa operi conjugali mentem absorbet, nec liberam illam relinquit, ut se in Deum convertat. Quod quia pariter habetur in comedione ad satietatem, non vero in comedione temperata, ideo pariter illicitum est comedere ad satietatem præcise ob delectationem inde capiendam, ut constat ex propos. 8. damnata ab Innoc. XI., quæ habet: *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non ob sit valeudini; quia licite potest appetitus naturalis suis aetibus frui.*

Neque dicas, ex Philosopho 10 Ethic. 8., talis est delectatio, quale opus, de quo est, sed opus conjugii est honestum, & licitum: ergo etiam delectatio ex tali opere percepta, atque adeo intendi potest opus conjugii præcise ob delectationem.

Nam respondeo, axioma Philosophi esse verum, quando delectatio debite queritur, non ut finis actus, sed tamquam actui adjuncta, ut notat Sanch. loc. cit.

Hinc infertur, quod sicuti opus conjugii ob solam voluptatem exercitum est illicitum, & inhonestum, non vero si exerceatur, vel ob propria generationem, vel ad remedium concupiscentia, vel ad satisfaciendum

I con-

conjugi petenti, vel ad conservandum amorem cum conjuge, quanvis simul acceptetur delectatio illi annexa; dummodo non procuretur nimia; ita pariter illicitum est contrahere matrimonium præcise propter delectationem carnalem capiendam; secus vero, si ob finem honestum, sive intrinsecum, sive extrinsecum matrimonio, illud contrahatur, quamvis simul intendantur in ordine ad eundem finem frui deinde in actu matrimoniali delectatione illi a natura annexa, non tamen nimia. Ubi Doctores advertunt, saepe in opere conjugii veniale culpam contrahi; quia plerumque excessus voluptatis in eo aetui a conjugibus procuratur.

Neque dicas cum Altisidor. apud Sanch. Qui concionatur recto fine, peccat venialiter, si admittat gloriam vanam inde consurgentem: ergo etiam peccat venialiter conjux, qui ob finem rectum petit debitum, & contrahit matrimonium, si delectationem actu conjugali annexam admittat, & non respuat.

Nam, concessio antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia inanis gloria est in se mala, & ideo respuenda: Contra vero delectatio in opere conjugali (nisi sit nimia) non est in se prava; immo natura tali operi sagaciter illam adjunxit propter bonum prolixi, ut ejus generationi avidius homines vacarent, & sic species humana conservaretur: Sicuti in ciborum esu delectationem natura apposuit ob individui conservationem: Ex Philosoph. enim 10. Eth. 4. voluptas, & delectatio sunt condimentum operationum. Quare vacat culpa uti matrimonio, fruendo delectatione non nimia, quam natura illi adjunxit propter honesti finis necessitatem.

VI. Quaritur ultimo, Quandonam elevatum sit matrimonium ad ratio-

nem Sacramenti?

Respondeo, de fide esse matrimonium ad rationem Sacramenti elevatum a Christo Domino: Trident. enim sess. 24. can. 1. hæc habet: *[Si quis dixerit, matrimonium non effere, & propriæ unum ex septem Sacramentis legis Euangelica, a Christo Domini institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, Anathema sit.]* Hoc autem ex nullo Scripturæ loco deducitur aperte, ut notat Perez disp. 19., sed ex traditione ab Apostolis, & eorum successoribus accepta habemus, ut loquitur Evaristus III.

Dubium tamen est, quando Christus Dominus illud instituerit? Aliqui docent, institutum fuisse Joan. 2, quando Christus interfuit nuptiis. Alii cum Sanch., & Rebel., institutum fuisse Matth. 19, quando dixit: *Quis Deus coniunxit, homo non separabit.* Alii in nocte Cenæ. Sed probabilius Perez, Mærat., & alii docent, institutum fuisse post resurrectionem in uno ex iis quadraginta diebus ante Ascensionem. Ratio est, quia eo tempore, ut constat ex Actor. 2, apparuit Christus Dominus Apostolis loquens cum eis de Regno Dei, hoc est de rebus ad Ecclesiæ suæ statum pertinentibus; Tunc etiam instituisse Sacramentum Pœnitentiae constat ex Joan. 20, quando scilicet januis clavis apparuit Apostolis, absente Thoma, & ostendens manus, & latus insufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinuerint, retenta sunt.*

AR

ARTICULUS III.

De Unitate, & Indissolubilitate
Matrimonii.

I. Ex primava institutione Matrimonium fuit unum, seu unius cum una, & indissoluble.

II. In veteri lege Deus concessit ex rationabili causa dari posse libellum repudii. Et in lege Euangelica matrimonium ratum tum per Professionem Religiosam, tum ex dispensatione Pontificis ob gravem causam dissolvi potest.

III. Matrimonium Infidelium ex lege Christi Domini est insolubile; Potest tamen dissolvi, quando alter tantum ad fidem convertitur, no lente altero cohabitare circa injuriam Creatoris.

IV. Diversimode Doctores opinantur circa Polygamiam, & dissolubilitatem Matrimonii, iurene naturali, an divino positivo ea prohibeantur.

V. Dicendum verius dissolubilitatem matrimonii, ac Polygamiam relate ad plures uxores ita jure naturali prohiberi, ut possit in iis Deus dispensare; non secus ac in occione innocentis.

VI. At non potest Deus dispensare in his actionibus sub iis circumstan tiis, sub quibus sunt intrinsecemala, & jure naturae prohibita.

VII. Per Professionem Religiosam dissolvitur Matrimonium ratum jure Ecclesiastico verius, quam naturali, aut divino positivo; Et quidem jure Ecclesiastico non scripsi, sed tradito.

VIII. Votum castitatis annexum Ordini Sacro non dissolvit matrimonium ratum, quamvis sit solempne; Sicut nec vota simplicia in Societate Iesu: Hac autem vota dicuntur sim-

plicia, quia ex parte votantis dum taxat sunt perpetua, non vero simpliciter, & absolute; ut est votum castitatis annexum Ordini Sacro.

IX. Ea de causa nec votum solempne annexum Ordini Sacro, nec vota simplicia in Societate Iesu dirimunt matrimonium ratum, (quamvis dirimantur ab iis Sponsalia, ac matrimonium subsequens) quia namquam Ecclesia id statuit, sicut statuit de Professione Religiosa.

X. Per bimestre post matrimonium ratum regulariter possunt Conjuges negare debitum, ut cogitent de Religione.

I. Non est hic sermo de dissolubili tate quoad torum, sed quoad vinculum. Inquirimus enim hic, num matrimonium legitimum, seu celebra tum juxta leges contractus (quod habetur etiam inter Infideles) tam rati onem (quod supra legitimum addit rationem Sacramenti, & ideo solum habetur inter fideles) quam consummatum, possit aliquando dissolvi? Et unde habeat unitatem, seu quod debeat esse unius cum una? Quod est querere, Jurene naturali, an divino positivo matrimonium debeat esse unum, seu unius cum una, & indissolubile quoad vinculum?

Primitto ante responcionem, Certo esse primo, juxta omnium doctrinam, matrimonium ex sua primava institutione esse unius cum una; ita ut invalide contrahatur cum secunda uxore, vivente prima; ut habetur in cap. Gaudemus 8. de Divorcio. Et probatur ex illo Genes. 2. Quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adharetur uxori sua, & erunt duo in carne una. Si ergo in carne una erunt duo, ergo non nisi unus cum unica contrahere potest: Hinc Christus Dominus Matth. 19.

I 2 di-

dixit, esse adulterum illum, qui dimisit prima uxore, secundam ducit; Quod non esset verum, si posset ducere secundam; nam quamvis peccaret dimittendo primam, non tamen esset adulter ducento secundam, quia haec etiam esset vera uxor.

Certum pariter est secundo, Ex divina concessione fuisse Iudaicis licitam polygamiam; ita scilicet, ut idem vir plures uxores duceret, non vero eadem uxor plures viros, ut habetur in land. cap. Gaudemus; Et patet, quia etiam Sanctissimi Patriarche Abraham, Jacob, David plures uxores habuerunt. Quamvis autem aliquae ex iis vocentur in Sacris Bibliis concubinæ, non dicuntur tamen concubinæ ex eo, quod non essent verae conjuges, sed quia, quæ dicebatur Uxor, erat Domina, & totam familiam administrabat; quæ vero dicebantur Concubinæ, assumebantur tantum ad societatem tori, & ad prolis generationem; Sic Sara dicitur uxor Abrahæ, Agar vero concubina: Item Lia, & Rachel dicebantur uxores Jacob; ultraque enim erat Domina familia; at Ancillæ Liæ, & Rachelis erant concubinæ ejusdem Jacob. Quod autem istæ Concubinæ essent verae uxores, patet ex 25. Genes. 1., ubi concubina vocatur uxor. Hac tamen concessio polygamiæ post Christi Domini adventum cessavit; nam matrimonium ex Matth. 5., & 19. revocatum est ad suam pristinam institutionem.

Certum est tertio, Matrimonium ex sua primæva institutione non solum esse unius cum una, sed etiam esse indissoluble, ac perpetuum, ut communiter Theologi docent; Et constat tum ex Trident. sess. 14., tum ex Matth. 19., ubi Christus Dominus docens, illicitum esse dare libellum repudii permisum in lege Moysayca, dixit: *Ab initio autem non fuit sic.* Et

Marci 10. habetur, *Omnis, qui dimisit uxorem, & aliam duxerit, mactetur:* Quod non esset verum, si vinculum prioris matrimonii esset dissolubile. Ibidem etiam dicitur: *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* Unde fit ex institutione divina, matrimonii vinculum esse indissoluble; Extratio insolubilitatis habetur ex fine matrimonii, qui est bona, & perfecta educatio proli.

II. Hinc sequitur, ex divina solum concessione licitum fuisse in antiqua lege solvere vinculum matrimonii, & dare libellum repudii ex rationabilis causa, ut habetur Deuter. 24. Quamvis enim Matth. 14. dicatur, id permissionem fuisse ob duritatem cordis, non sequitur, quod Deus id vere non concederet, sed solum sequitur, quod concederet, ut subveniret imbecillitatì Iudeorum, qui proni erant ad pecandum. Verum haec concessio pariter post Christi adventum revocata est, ut omnes Catholici docent.

Certum tamen est quarto, Matrimonium baptizatorum ratum, & validum, ante consummationem esse dissoluble per professionem Religiosam; ita ut qui in seculo remanet, possit cum altera nubere, ut infra dicemus. Docent etiam communius Theologi cum Sanch., Suar., Perez contra Scot., Sot., & alios, quod hujusmodi matrimonium non solum per professionem religiosam, sed etiam ex dispensatione Pontificis ob urgenter causam possit dislovi, ita ut uterque possit cum alio nubere; quando scilicet, nisi dissolvatur, aut imminet alicujus Regni jactura, aut graves rixæ timentur.

Verum post consummationem matrimonium baptizatorum, nec per somnem professionem, nec per Pontificis dispensationem dissolvi potest; Nam ex divina lege est insolubile, ut colligitur, tum ex illis verbis Matth.

19. Quod Deus coniunxit, homo non separat, tum ex 1. ad Corinth. 7. Iis, qui matrimonio juncti sunt, praeceps, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Immo matrimonium etiam Infidelium post praedictam Christi legem est pariter insolubile. Quod si dissolvitur, quando alter tantum convertitur ad fidem, id contingit ex Christi etiam dispensatione explicata per Apost. 1. ad Corinth. 7., ubi dicitur: *Quod si infidelis discedit, discedat* (subintellige, Conversus ad fidem) *non enim serviunt subjectus est frater, aut soror in hujusmodi; in pace autem vocavit nos Deus.* Ratio autem omnimodae indissolubilitatis matrimonii consummati est, ut communiter Doctores docent, quia representat unionem indissolubilem Christi cum Ecclesia per Incarnationem; ubi e contra matrimonium ratum, non consummatum significat unionem dissolubilem Christi cum Anima existente in gratia.

III. Sequitur ex dictis primo, Matrimonium Infidelium ex lege Christi Domini, cui etiam Infideles sunt subditi, esse insolubile etiam ante consummationem, nec posse per dispensationem Pontificis solvi; cum infideles non sunt subditi Papæ.

Sequitur secundo, Matrimonium Infidelium solum propter causam, & bonum fidei posse dissolvi, quando scilicet alter tantum ad fidem convertitur, altero nolente cohabitare absque injuria Creatoris; ut dicemus cum de impedimento disparis cultus. Quod si uterque conjux infidelis baptizetur, matrimonium illud legitimum evadit ratum, seu magis insolubile ratione baptismi suscepti; nam ante baptismum poterat dissolvi propter causam, & bonum fidei, ut diximus, post baptismum vero non pot-

est ulla tenus dissolvi.

Sequitur tertio, quod matrimonium consummatum Infidelium non possit dissolvi per dispensationem Pontificis, si postquam uterque est baptizatus, sit iterum consummatum: Contra vero, si post baptismum utriusque non sit iterum consummatum, probabiliter potest per dispensationem Pontificis dissolvi, ut docent Navar. Pont., Sanch. contra Perez; censetur enim tantum, ut matrimonium ratum; quandoquidem matrimonium ante baptismum consummatum non est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, sicut est matrimonium consummatum baptizatorum.

Dices; ex verbis Christi Domini Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, videtur colligi,* quod ob causam fornicationis uxoris, possit illa dimitti, & matrimonium dissolvi: ergo falsum est, Christianum Dominum voluisse, quod matrimonium sit insolubile. Sed contra est, quia sensus illorum verborum ex August. apud Con., est, quod qui dimiserit (videlicet quoad torum) uxorem suam, excepta causa fornicationis, mœchatur, hoc est, occaisionaliter, quatenus est occasio illi, ut mœchetur; sicuti etiam qui aliam duxerit, mœchatur, quia vere adulterium committit: Quare ob causam fornicationis potest uxor dimitti solum quoad torum, non dissoluto vinculo matrimonii. His praædictis;

IV. Quæritur nunc primo; Num Polygamia, & dissolubilitas Matrimonii sint ab intrinseco mala, & contra legem naturalem, ut est odium Dei, mendacium, &c., an vero sint mala, quia prohibita per legem Dei positivam?

Multi apud Sanch. lib. 7. disp. 8. docent, Polygamiam esse contra ius na-

naturale, ita tamen ut in ea Deus dispensare non possit, ut infra explicabimus: Alii vero docent, ita esse contra jus naturale, ut tamen in ea Deus dispensare possit, tum quod idem vir ducat plures uxores, tum etiam quod eadem uxor nubat pluribus viris: Alii putant, solam polygamiam plurium virorum relate ad unum uxorem fieri non posse, ne per divinam quidem dispensationem; Polygamiam vero plurium uxorum relate ad unum virum prohiberi solum lege Euangelica; Sicut, verbi gratia, prohibetur consecratio sub unica tantum specie ex lege positiva Christi Domini; unde sequitur, quod per divinam dispensationem ea possit esse licita.

Circa insolubilitatem etiam Matrimonii Vasp. Bellarm., Hurt. apud Perez disp. 20. lect. 2. putant, eam ex natura sua competere matrimonio; ita ut matrimonium dissoluble jure naturali sit invalidum. Sanch. vero lib. 2. disp. 12. cum Con. negat, matrimonium jure naturali esse indissoluble; putatque, hoc illi competere ex natura sua, prout conjuncta cum divina institutione. Demum Abulens. apud Con. docet, indissolubilitatem competere matrimonio ex præcepto Dei positivo.

Ut quæstio decidatur, notandum, tripliciter aliquid posse esse contra jus naturæ. Primo, ita ut actus secundum suam speciem physicam sit ita malus, & juri naturæ repugnans, ut essentialiter exigat prohiberi, ut est odium Dei, libido contra naturam, &c. Secundo, ita ut actus secundum suam speciem physicam sit ita contra naturam, ut tamen possit aliquando ratione alicujus circumstantie esse licitus; Sic est furtum, occisio innocentis, fornicatio, &c.; etenim actus physicus furti licitus est, si fiat, Domino non invito; præsertim si fiat,

Deo primo Domino non invito; occisio innocentis est licita, si fiat Deo auctore, qui est Dominus vice unius cuiusque; Actus etiam physicus fornicationis licitus est, si fiat post matrimonium, aut post Dei voluntatem dantis jus in corpus alterius; intratum enim fornicatio est illicita, in quantum est accessus ad non suam; ille autem accessus physice sumpus post matrimonium, aut post dictam concessionem Dei non est amplius accessus ad non suam, sed est accessus ad suam, & consequenter in tali casu fornicatio evadit licita. Tertio, aliquid est contra jus naturæ ratione scandali, seu periculi peccandi, quod habet annexum; unde sublati tali periculo, non est contra jus naturæ, nec illicitum; sic est, verbi gratia, Sacerdotem habitare cum iuvenculis, & cum iis familiariter conversari; hoc enim licitum est, si urgente gravi necessitate, scandalum, & periculum peccandi absit.

V. Dico nunc primo cum Con., Sanch., Perez, & aliis, Polygamiam, & dissolubilitatem matrimonii non esse contra jus naturæ primo modo, ut est, verbi gratia, odium Dei. Patet, quia Deus de facto in iis dispensavit in lege veteri; quod autem est primo modo contra jus naturæ, non potest per dispensationem divinam esse licitum, cum essentialiter exigat prohiberi; Quamvis autem solum dispensaverit Deus in polygamia unius viri relate ad plures uxores; potest tamen etiam dispensare in polygamia unius uxoris relate ad plures viros, si inconvenientia, que inde sequuntur, videlicet incertitudo prolis, educatio non conveniens, &c. per suam omnipotentiam vitet.

Dico secundo; Polygamia, & dissolubilitas matrimonii sunt contra jus naturæ secundo modo, videlicet ut occisio innocentis, fornicatio, furtum, &c.

&c. Quare sicut furtum licitum est secundum esse suum physicum, si non fiat invito Domino, & fornicatio secundum esse physicum suum licita est, si sit accessus ad suam; ita poterit esse licita polygamia, si Deus det unius jus ad corpus plurium. Et licita pariter erit dissolubilitas matrimonii etiam consummati, si Deus velit vinculum matrimonii ad tempus dumtaxat ligare.

Probatur conclusio, quia ex una parte, seclusa tali voluntate divina, est contra jus naturae polygamia, & dissolubilitas matrimonii, (non secus ac furtum, occisio innocentis, & fornicatio) cum honestam, & convenientem humanae naturae educationem prolixi, necnon pacificam domus gubernationem impedit: Ex altera parte, posita illa voluntate divina, tolluntur haec incommoda, quae ex polygamia, & matrimonii dissolubilitate sequentur: ergo posita tali voluntate divina, possunt esse licita; atque adeo solum secundo modo sunt contra jus naturae. Sunt etiam contra jus naturae tertio modo, quatenus natura exigit, ut non permittantur propter periculum peccati, videlicet propter periculum discordiae inter plures uxores, & propter periculum, ne apte proles educetur; si tamen tale periculum omnino cefset, licita sunt ex hoc capite.

VI. Ex quibus deducitur, in quo sensu verum sit Axioma illud Theologorum, Deum scilicet dispensare non posse in jure naturae; cum tamen & Abrahæ dispensarit, ut vellet occidere filium innocentem; & Israelitis, ut Ægyptios spoliarent; & Osee, ut sumeret sibi uxorem fornicationum; & Hebrais, ut plures uxores ducerent; necnon ut possent dare ex rationabili causa libellum repudii, & vinculum matrimonii dissolvere. Etenim ex D. Th. 1. 2. quæst.

100. art. 8. in hisce actionibus non dispensavit Deus sub iis circumstantiis, sub quibus sunt contra jus naturae, & ab intrinseco male; non enim dispensavit in furto, ut fieret invito Domino; nec in homicidio, ut fieret invito Domino vita, qui est Deus; nec in fornicatione, ut fieret per accessum ad non suam; sed dispensavit tollendo ab iis circumstantiam illam, per quam essent intrinsece, & essentialiter male: Et hoc pacto dispensavit etiam in polygamia, & dissolubilitate matrimonii. Non potest tamen hoc pacto dispensare in iis, quæ sunt contra jus naturae primo modo, puta in odio Dei, in mendacio, in mollitie, in peccato contra naturam, &c. quia haec sunt intrinsece mala, & essentialiter exigunt prohiberi simpliciter; eo quod in quacumque circumstantia sint contra jus naturae, & illicita.

VII. Quæritur secundo; Quo jure per Professionem solemnam in Religione approbata solvatur matrimonium ratum fidelium, jure naturali, an divino positivo, an Ecclesiastico?

Respondeo, multos cum Sot., Caget., Riccard., Palud., Durand. docere, solvi ex natura rei, seu jure naturali. Primo, quia qui deserta uxore Religionem ingreditur, transit ad statum perfectiorem, quod jure naturae est licitum; Præsertim quia ex hoc non sequitur gravis injuria alteri parti. Secundo, jure naturae licet mutare conjugium imperfectum in aliud perfectius, & spirituale; & consequenter matrimonium ratum mutare in professionem Religiosam. Tertio, quia professio solemnis est mors civilis, & spiritualis: ergo potest solvere vinculum morale matrimonii rati ortum ex mutuo consensu; non secus ac mors naturalis solvit vinculum carnale matrimonii consummati ortum ex copula.

Alii

Alii tamen cum Sanch. lib. 2. disp. 19., Rebel., Pont. docent, dirimi matrimonium ratum per solemnem professionem jure divino positivo a Christo Domino specialiter late in lege Euangelica. Primo, quia ex una parte hoc non est de jure naturae, ut infra dicemus: Ex altera parte nullum extat jus Ecclesiasticum, quod hoc statuerit. Nam Alex. III. cap. 7. de *Conversione Conjugatorum* dixit, dissolutionem matrimonii rati deduci ex Sacri Eloquii interpretatione; Et postea alii Pontifices hoc confirmarunt non ex Conciliorum decretis, sed ex exemplis Sanctorum a nuptiis ad Religionem instinctu Spiritus Sancti transmigrantium; ut constat de S. Alexio, B. Thecla, S. Caecilia, S. Macario; Quare cum initium hujus consuetudinis non inveniatur in jure Ecclesiastico, sequitur, privilegium hoc a Christo Domino per traditionem habitum, & per Apostolos derivatum; ex Regula illa D. August. lib. 4. de Bapt. cap. 14., quod scilicet, Quando nullum initium scriptum reperitur alicujus traditionis Ecclesiae, signum est, illud a jure, seu institutione divina Christi Domini promulgasse.

Secundo arguitur pro hac sententia, quia Pontifex non potest statuere legem ullam contra jus iustitiae acquisitionem a Tertio; ut patet in minoribus contractibus; unde Gelaf. Papa epist. 9. decrevit, servum sine Domini consensu in Religionem admittendum non esse: ergo non Pontifex, sed Christus Dominus statuit, post matrimonium ratum posse conjugem ad Religionem admitti.

Tertia sententia, quam sequimur, docet, id fieri jure Ecclesiastico, jam inde ab Apostolorum tempore instituto. Ita Med. Suar., Con., Lessl., Hurt. apud Perez disp. 20. sect. 3. Ratio est, quia hoc non est institutum jure na-

turæ, neque jure divino Christi Domini, ergo statutum est jure Ecclesiastico.

Probatur prima pars antecedentis; quia si possit jure naturae dissolvi matrimonium ratum per ingressum in Religionem, eo quod mutatur conjugium imperfectum, & carnale, in perfectius, & spirituale, sequetur, quod etiam matrimonium consummatum possit sic dissolvi; Sequeretur etiam, quod dissolvi etiam potuisse matrimonium legitimum non baptizatorum nondum consummatum in lege Moysi, titulo amplectendi perfectiorem vitam; Quæ tamen sunt absurdâ, cum Deus non acceptet idonum alteri debitum ex iustitia; Unde patet ad primam, & secundam rationem in contrarium adductas. Ad tertiam dico, quod quamvis professio solemnis dicatur mors civilis, quia profensus non debet vivere mundo; at non est incompossibilis cum vinculo matrimonii; si enim duo conjuges mutuo consenserint post matrimonium consummatum ingrediantur Religionem, retinent vinculum matrimonii; ergo professio religiosa non solvit vinculum istud natura sua.

Probatur nunc secunda pars antecedentis, quod scilicet neque id accidat jure divino Christi Domini. Primo, quia jus naturae, & divinum a tempore Christi Domini remansit in Ecclesia immutatum; atqui hoc jus, de quo loquimur, non mansit immutatum: ergo hoc jus non est divinum, sed Ecclesiasticum. Probatur secundum, nam olim solvebatur matrimonium ratum per sola vota simplicia, ut multi colligunt ex facto S. Alexii, D. Theclæ, & aliorum, qui non fuerunt Religiosi; nunc tamen non solvitur matrimonium ratum per hujusmodi vota; immo nec per votum soleme constitutatis, quod fit in susceptione Ori-

dinis Sacri, sed solum per professionem solemnem: ergo hoc non provenit ex jure divino, nec naturali, sed Ecclesiastico.

Secunda ratio est, quia videtur incredibile, quod Christus Dominus cesserit hanc vim solemnitati votorum Religionis, quæ tempore Christi Domini nondum erat inventa, & introducta in Ecclesia. Certum autem est, post Christi Domini Ascensionem nullum novum divinum jus latum esse; & tempore Ascensionis Religiones non erant introductæ, ut constat ex *capitulo de Voto in 6.* Demum quia etiam per vota simplicia in Religione approbata, puta in Societate Jesu debet matrimonium ratum solvi; et enim omnia vota jure divino sunt ejusdem rationis, & solemnitas votorum importans impedimentum dirimens novum matrimonium est de jure Ecclesiastico; ut patet ex Extrav. Gregor. IX. Vota tamen simplicia, quæ emittuntur in Societate Jesu post biennium novitatus, necnon vota simplicia, quæ emittuntur a Coadjutoribus, tam temporalibus, quam spiritualibus formatis in eadem Societate, matrimonium ratum non dirimunt, ut communiter docent Doctores cum Suar., Sanch., Vasq. contra Pont. lib. 9. cap. 6., ut dicimus quæsito sequenti.

Ex dictis sequitur manifeste, quod jure tantum Ecclesiastico matrimonium ratum per professionem solemnem dirimatur; Quamvis autem non reperiatur tale jus scriptum, nec initium talis juris, ex hoc solum sequitur, quod in Ecclesia hoc introductum sit jure non scripto, sed tradito.

Ad primam rationem in contrarium supra adductam respondeo, falsum esse, quod Alex. III. dixerit, dissolucionem matrimonii rati deduci ex interpretatione Sacri Eloquii, & ex reve-

Pars VII.

latione divina. Solum enim dixit, dissolutionem matrimonii consummati deduci ex illo Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homi non separet;* Et quodam Sanctorum ex revelatione divina deseruisse suas sponsas; ac demum adit, se decernere, matrimonium ratum solvi per professionem solemnem, inherendo vestigiis suorum majorum, quasi ab iis sit statutum.

Ad auctoritatem D. August. respondeo, illud signum haberi, quando nihil obstat in contrarium; In casu autem nostro ostenditur, quod talis institutio non fuerit a Christo Domino; ergo fuit ab Ecclesia per verbum traditum jam inde ab Apostolis.

Ad secundam rationem dico, quod sicut Princeps Reipublicæ potest dare facultatem ad rescindendum aliquem contractum in aliquo casu, etiam invito Tertio, & cum detimento illius; quando scilicet expedit ad bonum commune; quia tunc non sit injuria Tertio, cum sit irrationaliter invitatus; ita potest Pontifex per potestatem indirectam, quam habet in temporalia in ordine ad spiritualia, rescindere contractum matrimonii rati propter majus bonum spirituale ejus, qui vult Religionem ingredi: Sicut potest etiam relaxare juramenta cum damno tertii, quando ad tales relaxationem sufficiens ratio spiritualis intercedit: Et potest etiam in aliquo casu dare alicui licentiam ingrediendi Religionem, non obstante, quod sit servus, aut ære alieno gravatus; quando prudenter judicatur, id esse moraliter necessarium ad bonum spirituale illius, & nocumentum creditoris non esse magni momenti; Quod tamen quia ut plurimum non accidit in mancipio, idcirco statuit Gelasius Papa, ut mancipium invito Domino in Religionem non admittatur.

VIII. Dubium non leve in hoc quæ-

K si-

sito consurgit; Quare scilicet votum castitatis, quod emititur in susceptione Ordinis Sacri sit solemne, non vero votum castitatis, quod in Religione approbata, puta in Societate Jesu, emitunt ii, qui non sunt professi? Cum tamen certum sit, utrumque votum dirimere, non solum sponsalia antecedentia, & consequentia, sed etiam matrimonium subsequens, non secus ac dirimit Professio solemnis; Et præterea neutrum ex iis dirimere matrimonium ratum contractum ante illa vota.

Respondeo, disparitatem esse, quia votum castitatis annexum Ordini Sacro est simpliciter perpetuum, & cum sua solemnitate emititur; ideoque dicitur solemne, & æquiparatur professioni solemni; Contra vero votum Castitatis, quod emititur a non professis in Religione approbata, est perpetuum dumtaxat ex parte voventis, non tamen simpliciter perpetuum; cum accidere possit, quod tale votum amplius non obliget, si scilicet Religiosus a Religione dimittatur; & ideo non dicitur votum solemne, sed simplex; sicut etiam alia vota paupertatis, & obedientiæ ab iisdem emissa.

IX. Rogabis hic; Num dirimant matrimonium ratum, non solum Professione solemnis, sed etiam tria vota simplicia in Societate Jesu post Novitiatum emissâ?

Respondeo, Basiliūm Pontium lib. 9. cap. 6. affirmare: Primo, quia per illa constitutur status Religiosus ex Bulla Gregor. XIII., non secus ac per solemnem Professionem; statui autem Religioso tribuitur dissolutio matrimonii rati in cap. 2. 7. & 14 de *Convers. Conjugat.* ergo. Secundo, quia ante introductionem Professionis solemnis dissoluebatur matrimonium ratum per votum castitatis, ut fertur de D. Alexio. Tertio, quia ex

Bulla ejusdem Gregor. XIII., ea vota dirimunt matrimonium subsequens, non secus ac Professio solemnis: ergo etiam matrimonium ratum antecedens. Quarto, quia cæteroqui post hæc vota remaneret in Religioso vinculum matrimonii invita conjugi; quod repugnat statui religioso.

Communiter tamen Doctores Societatis cum Suar., Vafq., Sanch. negant; siquidem votis simplicibus ipsis, neque competit jure naturali dissolvere matrimonium ratum (cum neque id competit voto solemni Ordinis Sacri) Neque jure positivo; siquidem in Bulla Gregor. XIII. solum habetur, quod dirimant matrimonium subsequens.

Ad primam rationem in contrarium respondet, falsum esse, quod status religiosus dissolvat matrimonium ratum; cum de sola Professione religiosa id statuerit Ecclesia. Verum quidem est, quod in laudatis capitibus idribuat statui religioso. At ibi nomine Status Religiosi venit professio solemnis; etenim ante Societatem Jesu universim status religiosus importabat solemnem Professionem. Ad secundam, falsum est, quod assumitur; in cap. enim 2. de *Conversione conjugarum*, dicuntur quidam Sancti de mptiis vocati fuisse ad monasteria, atque adeo ad Professionem. Quod attinet ad D. Alexium, verius est non fuisse professum in illa Religione, ut notat Perez, sed fuisse a Deo peculiariter vocatum ad continentiam, non dissoluto vinculo matrimoniali. Ad tertiam negatur consequentia; tum quia in lege positiva argumentum a pari non tenet; tum etiam, quia disparitas est dilucida; per tria enim vota Societatis dirimitur matrimonium subsequens, quia non est æquum, ut qui in perpetuum ex parte sua se consecravit Deo, possit se obligare conjugi: At æquum, & justum est, ut uxor post matrimonium

nium ratum non spoliatur jure suo, per hoc, quod vir emittrat tria vota in Societate, a qua ob varias causas expelli potest. Ad quartam; Sicut in aliis Religionibus tempore Novitiatus remanet vinculum matrimonii rati ante contracti; ita in Societate remanet idem vinculum post tria vota simplicia, donec Professio saltem trium votorum emittatur; Hæc autem solemnis Professio trium votorum fieri potest a quolibet post primum annum novitiatus, & ideo ne uxor diu exspectet, ad Generalem Societatis recurrentem est in casu occurrenti, ut decernat, num expeditat, illum ad hanc Professionem admittere, an vero ad uxorem remittere, si non satisfaciat Religioni.

X. Quæritur ultimo; quantum temporis concedatur conjugibus ad ingrediendam Religionem ante consummationem matrimonii?

Respondeo, communiter præscribi duos menses; quia sic videtur colligi ex cap. 7. Ex publico, *De Conversione Conjugatorum*. Verum quia id aperite non colligitur ex dicto cap., cum Alex. III ibi dederit spatium duorum mensium ad matrimonium consummandum, non quidem post contractum matrimonium, sed post litteram inchoatam; ideo ex consuetudine Ecclesiæ docent communiter Doctores, tale spatium concedi, ita ut aliquando arbitrio Judicis, causa cognita, possit augeri vel minui, ut notat Sanch. lib. 2. disp. 24. Semper tamen licitum est, Religionem ingredi ante consummationem matrimonii,

etiamsi per plures annos aliquis cum injuria alterius noluisset matrimonium consummare.

Dubium est primo; An licite possint conjuges negare debitum per prium bimestre, etiamsi non cogitent de Religione? Affirmat Sanch. loc. citat., quia potest quilibet expectare saltem desiderium ingrediendi Religionem: Navar. tamen, & alii cum Con., & Perez negant; quia celsat in tali casu finis, per quem conceditur bimestre.

Dubium est secundo; per quam copulam consummetur matrimonium ratum?

Respondeo, consummari per copulam post matrimonium habitam, ex qua sequi possit legitima generatio; siquidem per talem copulam conjuges fiunt una caro, & affinitatem contrahunt, ex cap. *Debrium de Bigamis*. Hinc fit primo, matrimonium ratum non dici consummatum per copulam habitam ante Sponsalia; Secundo, nec per copulam habitam post sponsalia, ubi Trident. viget; ubi enim non viget Trident., talis copula non censetur fornicaria, sed conjugalis; Tertio, nec per copulam, ex qua non potest sequi generatio. Si tamen alter copulam extorserit ab altero per vim intra bimestre, profecto vinculum matrimonii, utpote consummati, per professionem solemnem non dissolvitur; lictum tamen est illi, qui vim passus est Religionem ingredi, & profiteri, altero invito, ac ligato. Et ratio est, quia non debet hic privari jure suo ingrediendi Religionem intra bimestre.

Q U A E S T I O . IV.

De consensu, qui est causa efficiens vinculi matrimonialis.

Plura diximus art. 1. quæstionis primæ de interno consensu requisito ad validitatem matrimonii: Quæ vero spectant ad consensum internum sicutum, colligi plurimum possunt ex iis, quæ diximus ibidem art. 2. cum de promissione facta matrimonii. Similiter quæ spectant ad consensum externum, seu ad signa externa, quibus exprimi debet internus consensus, qui est causa efficiens vinculi maritalis, colligi plurimum etiam possunt ex iis, quæ diximus art. 4. cum de signis, quibus contrahuntur Sponsalia: Plura etiam spectantia ad consensum coactum colligi possunt ex iis, quæ diximus quæst. 1. art. 8. cum de metu dissolvente Sponsalia. Hic addenda, quæ ulterius inquirentur debent. Et primo quidem de consensu Matrimoniali simulato. Secundo de externo. Tertio de coacto. Quarto de clandestino simpliciter, quod faciliter fit sine Parocho, & testibus. Quinto de clandestino secundum quid, videlicet quod fit sine præviis proclamationibus; ac demum de consensu conditionato.

ARTICULUS I.

De Consensu matrimoniali simulato.

- I. *Qui fidei matrimonium contrahit, secundum se peccat, tum contra virtutem Religionis sacrilege, tum contra iustitiam: teneturque deposita simulatione contractum ratificare.*
- II. *Aliquando tamen potest alius viis damnum compensari.*
- III. *Si quis post fictum matrimonium cum Berta, vere cum alia contrahat, & censuris adigatur, ut Berta adharet, pati potius debet excommunicationem, quam ad illam accedere.*
- IV. *Urgente meatu gravi potest quidem simulari contractus matrimonialis, quin per hoc simuletur Sacramentum matrimonii.*
- V. *At simulari non potest, si detur impedimentum dirimens jure naturæ.*

I. **C**um requiratur consensus veros signo externo expressus, & liber a coactione, tam ad contractum matrimonii, quam ad contractum sponsalium, ideo omisisti iis, quæ ad hujusmodi consensum pertinent, & communia sunt utrique contractui (que abunde explicavimus in locis citatis agentes de sponsalibus) quærimus hic, quæ speciatim ad consensum matrimoniale spectant, agendo prius de consensu simulato.

Quæritur itaque primo; Ad quid teneatur, qui simulato animo, & non vero consensu contraxit matrimonium?

Respondeo, certum esse, quod si ne vero consensu contractus matrimonialis, atque adeo Sacramentum sit irritum; & consequenter qui simulato animo sine justa causa contraxit, peccavit mortaliter, tum peccato sacrilegii contra reverentiam Sacramento debitam, tum etiam peccato injuritiae ob injuriam, quam alteri bona fide contrahenti intulit: Unde tenetur ad com-

compensandum damnum, quod alteri provenit. Hæc tamen compensatio plerumque alia via secundum æqualitatem fieri non potest, quam ut deposita simulatione, vero apud animum elicto consensu ratificet ille priorem contractum: Etenim quilibet contratus (sicut etiam professio religiosa) si sint irrita ob defectum interni consensus, ratificantur per hoc solum, quod ponatur internus consensus, dummodo alter contrahens actu, vel virtute consensum retineat, ut docet Sanch. lib. 2. disp. 32.

II. Aliquando tamen, ut notant Vasq., Henr., Silvest. apud Laym. cap. 6., deceptor non obligatur ad ratificandum priorem contractum, seu ad matrimonium revalidandum, sed alia via potest damnum resarcire, in his præterim casibus; Primo, si decepta fallo jaεtavit se esse virginem; tunc enim deceptio unius cum deceptione alterius compensatur; Secundo, si ex tali matrimonio graves rixæ, scanda la, & infelices exitus timeantur; Tertio, si decepta, cognita deceptione, aliam damni compensationem sponte recipiat; Quarto, si deceptor aliud postea matrimonium cum altera vero consensu contraxit; Quinto, si deceptor sit longe superioris conditionis, quam decepta, etiam si spe matrimonii copulam extorserit, ut ostendimus quæst. i. art. i. cum Sanch. contra Laym.; quia iustitia obligat tantum ad ponendum æquale; in casu autem nostro copula præstata sub spe matrimonii a feminâ longe inferioris conditionis non habet æqualitatem cum matrimonio; ergo deceptor non tenetur ad matrimonium, sed potest damnum alia via compensare.

III. Difficultas est; Quid facere debat, qui simulato animo prius contraxit cum Berta, & deinde vero consensu contraxit secundum matrimonium cum Teresia, si ab Ecclesia sub

censuris ad prius matrimonium compellatur? Etenim Ecclesia fictionem alleganti, etiam cum juramento, fidem facile præbere non debet, nisi deceptor det clarissima indicia deceptionis ex cap. Per tuas de probationibus; ubi dicitur: neque juranti credendum esse adversus ea, quæ ante asseveraverat.

Respondeo, quod si nulla ratione effugere potest, quominus relicta Teresia vera uxore, ad Bertam uxorem putativam adhæreat, potest quidem cum hac aliquando cohabitare, ut Ecclesiæ præcepto satisfaciat; at cum ea copulam habere nullatenus potest; committeret enim adulterium, ad quod procul dubio obligari non potest: Unde potius deberet humiliter sustinere excommunicationem secundum forum externum, quam in copulam consentire, aut exponere se periculo proximo labendi in illam.

IV. Quæritur secundo; An licet iusta de causa, puta ex metu gravi, simulare consensum in contractu matrimoniali, postquam damnata est ab Innoc. XI. prop. 29. dicens. Urgens metus gravis est causa iusta Sacramen torum administrationem simulandi.

Respondeo, juxta doctrinam Pal., Con. disp. 28. dub. 3., Perez, Lumbier, & aliorum contra Joan. Sanc. in selectis quæst. disp. 35. (ut fuse in expositione dictæ thesis explicavimus) id licere. Ratio est, quia cum Christus Dominus elevaverit ad rationem Sacramenti contractum matrimoniale non immutando leges contractus, sequitur, quod sicuti juxta leges contractum possit in aliis contractibus simulari consensus, urgente metu gravi, possit pariter, urgente metu gravi simulari consensus in contractu matrimoniali. Neque enim hoc eslet simulare administrationem Sacramenti; Quod damnatur ab Innoc. XI. Nam simulare administrationem Sacramenti,

ti, est ponere materiam, & formam Sacramenti sine intentione administrandi illud; ut si serio ponatur ablutio, & proferatur forma baptismi sine intentione baptizandi; At in casu nostro si ponitur consensus fictus, eo ipso non ponitur materia, & forma Sacramenti matrimonii; & consequenter non simulatur administratio Sacramenti, sed solum materia, & forma, nempe verus contractus simulatur. Præterea qui administret, verbi gratia, baptismum, certe in persona Dei baptizat; unde si fingat, sacrilegium committit contra reverentiam Deo, & Sacramentis debitam: Contra vero; Minister matrimonii non sustinet immediate personam Christi dispensantis sua merita, sed sustinet personam privatam celebrantem contractum, cui per accidens conjuncta est a Christo participatio Sacramenti; unde si metu urgente simulat contractum, non fingit, se sacrilege dispensare merita Christi, sed solum simulat verum contractum, quo non posito, materia, & forma Sacramenti non ponitur.

V. Addo tamen cum Perez, & Hurt. disp. 12. disloc. 4., quod ratione metus gravis non liceat simulare contractum matrimoniale, quando intercontrahentes intercedit impedimentum jure naturæ dirimens, ut est impotentia perpetua, consanguinitas in primo gradu, &c. Ratio est, quia non licet simulare, quod est intrinsece malum; Exempli gratia, non licet ratione metus simulare adorationem idoli, aut juramentum de malo patrando: Quod si impedimentum intercontrahentes sit solum impediens, ut est votum simplex castitatis, sponsalia præcedentia, &c. licitum est per metum gravem simulare contractum matrimoniale; nam non est intrinsece malum in tali casu id, quod simulari; cum nec sponsalia obligent ad

non contrahendum cum alia, metu gravi interveniente; nec votum illud obliget ad castitatem, interveniente eodem metu; quia nemo intentionem habet obligandi se ad voti observationem cum periculo mortis, aut gravis damni. Denique si impedimentum sit dirimens jure Ecclesiastico, adhuc poterit ex gravi causa simulari contractus, ut docent Pal., & Sanch., quia Ecclesia non obligat ad non contrahendum cum tanto incommodo. Hoc autem satis superque sint dicta de consensu simulato.

ARTICULUS II.

De Signis externis expressivis consensu matrimonialis.

- I. *Quamvis Matrimonium sit Sacramentum, adhuc sine verbis celebrari potest, ut quilibet altius contractus.*
- II. *Quanam soleant esse signa externa certa experientia consensum internum?*
- III. *Etiam taciturnitas potest aliquando esse certum signum interni consensus..*
- IV. *Parentes neque possunt cogere filios ad matrimonium, neque illud sine justa causa impedire.*
- V. *Fili quamvis non teneantur hac in re sequi consilium Parentum, tamen ob reverentiam debitam illud petere.*
- VI. *Ut Procurator valide matrimonium contrahat pro Principali, quatuor requiruntur.*
- VII. *Si Principalis tempore contractus dormiat, adhuc fructuose Sacramentum recipit, si sit in gratia.*
- VIII. *Si Principalis tempore contractus per Procuratorem sit ebrius, adhuc valide contrahit. Imo juxta communiores, etiam si tunc sit amans.*
- IX. *Quid si Principalis det fictum man-*
da-

datum, & tempore contractus habeat verum consensum?
X. Si detur mandatum, ut premissis proclamationibus Procurator contrahat, adhuc universim valide contrahitur iis non præmissis. Sicut valide confertur absolutio a censuris, parte non satisfacta; quamvis facultas absolvendi detur sub ea conditione.

I. Quæritur primo; An ad valorem matrimonii necessaria sint verba expressiva interni consensus, saltem inter baptizatos, inter quos contractus matrimonialis est Sacramentum, quod constat rebus, & verbis?

Respondeo negative cum communi contra quosdam Jurisperitos apud Perez. Ratio est, quia etiam muti, & furdi possunt valide contrahere matrimonium, ex cap. cum apud 23. De Sponsalibus, & Matrimonio: Ergo universim non sunt necessaria verba, sed satis sunt omnia alia signa exteriora expressiva interni consensus; non fecus ac in reliquis contractibus: Et ideo Eugenius IV. in Florentino expresse dixit, quod consensus per verba regulariter expressus faciat matrimonium: ergo verba non requiruntur necessario; aliter non dixisset, consensum, Regulariter, exprimi per verba. Quinimum neque verba necessario requiruntur in valentibus loqui. Nam neque id statuit Christus Dominus, quippe qui ad rationem Sacramenti elevavit contractum legitimum; Contractus autem legitimus non requirit necessario verba: Neque id statuit Ecclesia, quamvis statuere potuisse, sicut de facto statuit matrimonium clandestinum esse irriter: Censem tam Sanch. disp. 31., Mærat., Con., Filliue., quod sit veniale non exprimere verbis consensum internum sine iusta causa: Et Ledesm. cum Rodri-

quez apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 248. putant esse mortale. Evidem vero censeo cum Hurt., Pont., Perez disp. 15. sect. 1., nullum esse peccatum, si sufficienter aliis signis consensus internus exprimatur; cum nullum extet præceptum de verbis proterendis.

Neque dicas cum Mærat., non licere in administratione Sacramentorum recedere ab usu communi, etiam in iis, de quibus non adest speciale præceptum. Nam Sacramentum Matrimonii sequitur leges contractus: ergo cum contractus licite fiat sine verbis, etiam si juxta communem usum verbis celebretur; ita Sacramentum matrimonii licite administratur sine verbis, quamvis juxta communem usum soleat verbis administrari.

II. Quaritur secundo; An subaratio, & traductio Sponsæ, vel correctio manuum sint signa certa exprimentia consensum internum matrimoniale?

Respondeo cum Sanch. lib. 1. disp. 22., Rebel., Pont., & aliis, quodlibet ex iis signis, & quocumque aliud posse esse certum signum consensus matrimonialis (non fecus ac verba) si ex Regionis consuetudine introducendum sit ad talem consensum significandum. Ceterum secundum se subaratio, seu annuli donatio, vel receptio non est signum sufficiens; quia potest fieri propter alias causas, puta inter concubinarios ob turpem amorem. Neque est signum sufficiens traductio etiam solemnis Sponsæ in donum Sponsi, quia nullo jure cautum est, ut Sponsalia transiant in matrimonium per traductionem, vel aliter, quam per copulam; idque ante Trident.: ergo nisi ex loci consuetudine traductio Sponsæ sit signum nuptiarum, non est satis ad matrimonium, etiam si coram Parocho, & testibus fiat: Contra vero correctio manuum; Si enim

viro experimenti consensum matrimonii, fœmina manum porrigat, signum est matrimonii certum; quia qui tacet, consentire videtur, cum agitur de obligatione contrahendi, & concurredit actus publicus; præsertim in fœminis, quæ præ verecundia aliquando non loquuntur. Quare idem dicas cum Pontio, si vir fœminæ manum apprehendens dicat: Tecum contraho matrimonium, & fœmina manum non retrahat.

III. Quæritur tertio; An taciturnitas sit sufficiens signum consensus matrimonialis in iis casibus, in quibus est sufficiens signum consensus interni constituentis Sponsalia, videlicet quando parentes contrahunt pro filiis præsentibus, & tacentibus, vel quando Tutores pro pupillis, & in aliis casibus, quos retulimus cum de Sponsal. quæst. I. art. 4?

Respondeo affirmative cum communi apud Sanch. lib. I. disp. 23. Ratio tamen non est, quia quæ de Sponsalibus dicuntur, extendi debent ad matrimonium; Nam cum strictrior sit obligatio matrimonii, quam Sponsarium; multo plura requiruntur ad illud constituendum, quam ista; hæc enim multis de causis possunt disolviri, ubi matrimonium est indissoluble. Ratio itaque conclusionis est, quia talis taciturnitas fundatur in quadam rationabili præsumptione consensus tacentis: Præsumitur enim, quod filius consentiat in id, quod a Parentibus, a quibus maxime diligitur, ejus gratia fit, atque adeo tam in contrafactu Sponsarium, quam in matrimoniali sufficiens signum consensus est taciturnitas.

Adde, quod ex regula juris in 6. *Qui tacet, consentire videtur;* quæ vera est, quando, qui tacet, tenetur non tacere, si non consentiat; filii autem si nolint consentire in matrimonium, quod pro iis præsentibus contrahunt

Parentes, tenentur reclamare, cum facile possint; aliter præsumitur, quod consentiant, ut loc. cit. de Sponsal. ostendimus.

Notandum tamen hic primo, ad valorem matrimonii filiorum nullo pacto requiri consensum Parentum, sed sufficere proprium. Ita Trident. sess.

24.

IV. Notandum secundo cum communi apud Perez disp. 17. sect. 17, non posse parentes cogere filios ad matrimonium; libere enim debent filii eligere statum vitæ; Unde etiam fit, quod peccent Parentes, si impediunt matrimonium filiorum, cum sui juris sint circa status electionem. Nec Pater potest absque justa causa exhortare filiam, si contra ejus voluntatem nupsit; Nec potest Confessorius absolvere Patrem in articulo mortis, nisi revocet testamentum, ubi filiam iniuste exhortaverit, ut notat Dian. de immunitate Ecclesiæ tract. 2. resol. 74. In Trident. autem sess. 24. cap. 9. excommunicantur ipso facto omnes Domini temporales, & magistratus, qui quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios, cogunt, quominus libere matrimonia contrahant.

Notandum tertio ex Sanch. lib. 4. disp. 23., Vasq., Con., Hurt. disp. 7. difficult. 10., filios non teneri contrahere matrimonium, quod Parentes promiserunt, vel iis præcipiunt; dummodo Parentibus grave aliquod incommodum non sequatur, & filius aequi bene nubat, ac si nuberet cum ea, quam Parentes offerunt. Ratio est, quia filii non solum debent esse liberi circa status electionem secundum substantiam; sed etiam secundum circumstantias quodammodo ad substantiam pertinentes; ut est circumstantia Personæ, cui nubatur: durissimum enim est nubere cum ea, que non amatur, adeo ut aliquando præligatur non

non nubere, quam nubere cum illa.

V. Notandum ultimo, filios non solum valide, sed etiam licite posse inire matrimonium, invitis parentibus, quando ex matrimonio non sequitur illis grave incommodum. Ita Sanch. loc. cit., Con., Hurt., contra Rebel., Sot., Navar. apud Perez disp. 17. sect. 18. Hoc evincitur, tum ex libertate requisita ad matrimonium; unde nemmo in hoc ab alio dependere debet; tum etiam quia cum possit Prælatus per censuras coercere Patrem, qui impedit matrimonium filiorum, signum est, quod filius non peccet nubendo, invitis parentibus; Aliter Prælatus patrocinaret malitia filiorum. Peccant tamen filii, si matrimonium ineant, parentibus inconsultis; cum hoc importet gravem defectum reverentiae, necon contemptum, & diffidentiam ipsorum; quod valde ægre ferunt Parentes: Quare licet non teneantur sequi consilium Parentum, tenentur tamen ob reverentiam debitam illos consulere, per se loquendo, nisi timeant matrimonium injuste ab iis impedendum, aut alia adsit rationabilis causa illud occultandi.

VI. Quæritur quarto; Quomodo consensus internus per Procuratorem, aut per literas, vel internuncium exprimi possit?

Respondeo cum communi, eodem modo in contractu matrimoniali, ac in aliis contractibus consensum internum exprimi posse; ita scilicet, ut Procurator exprimat nomine Principalis se contrahere.

Notandum tamen primo ex Cap. fin. de Procurat. in 6., ut valide per Procuratorem matrimonium contrahatur, quatuor requiri, Primo, ut habeat ad id speciale mandatum, nam res tam gravis, a qua totius vitæ statutus pendet, exigit, ut specialiter exprimatur; Secundo, ut non excedat fines mandati ex leg. *Diligenter ff.*

Pars VII.

Mandati: Verbi gratia, si mandatum sit Procuratori, ut contrahat cum tantâ dote, invalide contrahit cum doce minori; Tertio, ut ipse Procurator contrahat nomine Principalis, nec alium substituat sine speciali facultate; quia censetur communiter eligi industria personæ; Quarto, ut non sit revocatum mandatum tempore contractus: Hinc si revocetur mandatum ante contractum, quamvis revocatio non pervenerit ad notitiam Procuratoris, matrimonium est nullum. Et ratio est, quia Respublica non potest supplere defectum consensus essentialiter requisiti ad valorem matrimonii; Et consequenter idem dicendum in omnibus aliis similibus contractibus, in quibus Respublica non potest defectum hujusmodi consensus supplere; ut in contractu Sponsalium, in voto per Procuratorem emissio, in excommunicatione per alium lata, & in aliis casibus adductis a Pontio cap. 15.

Notandum secundo; post Tridentinum ad valorem matrimonii requiri, ut contractus, qui per Procuratorem celebratur, fiat coram Parocho, & testibus, quibus constare debet de mandato, vel per inspectionem instrumenti, vel aliter; non tamen requiritur, ut coram Parocho, & testibus Principalis dederit mandatum Procuratori.

Notandum tertio, quod diversitas sexuum in Procuratoribus ad matrimonium contrahendum sit omnino impertinens; ut constat ex usu Ecclesiæ; unde possunt aut duæ foeminae, aut duo viri esse Procuratores ad matrimonium celebrandum.

VII. Notandum ultimo, quod siue Principalis dormiat, siue sit ebrius tempore, quo Procurator ejus nomine contrahit, validus sit contractus; quia ad valorem contractus satis est, ut Principalis exerceat actum liberum tempore, quo dedit mandatum; & quod Procurator vi illius mandati libere

L

bere

bere operetur; Cum Procurator sit veluti instrumentum naturale, ac liberum, quod vi mandati operatur. Imo si sit in gratia, fructuose Sacramentum matrimonii recipit; non secus ac fructuose recipitur Sacramentum Extremæ Unctionis a dormiente sensibus destituto.

Neque dicas; Ebrius non potest tempore ebrietatis per se ipsum valide contrahere matrimonium, etiam si ante voluerit contrahere; ergo neque valide contrahit per Procuratorem.

Negatur enim consequentia; Et disparitas est, quia si contrahat tempore ebrietatis per se ipsum, externus contractus non est liber, ut requiritur; at si contrahat per Procuratorem, contractus externus Procuratoris est liber, & talis contractus externus facit unum moraliter cum consensu libero praestito a Principali, quando dedit mandatum: Sicut eleemosyna data per famulum jussu Domini facit unum moraliter cum actu libero Domini mandantis dari eleemosynam.

VIII. Dubium tamen est primo; an validum sit matrimonium contractum per Procuratorem, si tempore contractus Principalis incidat in amentiam; sicut diximus esse validum, si eo tempore dormiat, aut sit ebrius?

Affirmant communiter cum Sanch., Bonac., Henr. contra Pont. lib. 2. cap. 15., & Lug. de Sacram. disp. 8. fact. 6. Ratio est, quia satis est, ut libere mandatum dederit, & illud non revocaverit; aliter neque si dormiret, aut esset ebrius, valide contraheret.

Neque dicas cum Pontio; qui dormit, aut est ebrius, potest habere consensum liberum, non tamen qui est amens; hic enim est moraliter mortuus; unde sicut mandatum expirat morte mandantis, ita etiam expirat per amentiam mandantis, ut habetur in leg. *Si quis 48. ff. de acquirenda hereditate.*

Nam contra est, quia sicut ebrius, & dormiens possunt habere consensum liberum in sensu diviso ab ebrietate, & somno; ita etiam amens in sensu diviso ab amentia: Falsum tamen est, quod amentia æquipareatur morti; tum quia amentia non semper est perpetua, sed aliquando est ad tempus, ut ebrietas; tum etiam, quia qui est amens, est capax vinculationis matrimonialis, non vero mortuus. Demum, quod mandatum expiret morte mandantis, est indubitatum; quod vero expiret per amentiam mandantis, non est universaliter verum; quamvis in speciali aliquo contractu id verum sit, ut in lege citata.

IX. Dubium est secundo; An valeat matrimonium contractum per Procuratorem, quando Principalis dicit illi mandatum facte, & deinde antequam ineatur contractus, habet verum consensum internum, seu amum contrahendi?

Affirmat Sanch. lib. 2. disp. 11. Negat tamen Con. disp. 24. dub. 9, quia contractus Procuratoris non esset effectus, nec signum consensus veri posterioris, sed esset effectus consensus facti prioris.

X. Dubium est tertio; An valeat matrimonium contractum per Procuratorem, omissis denunciationibus, quando illi datur facultas contrahendi, servata forma Tridentini, ut semper dici solet, atque adeo præmissis denunciationibus?

Respondeo cum Sanch. loc. cit. & Perez affirmative, quia illa non est conditio, & restrictio facultatis (sicut esset restrictio facultatis, si mandasset, ne cum minori dote contraheret) sed solum est admonitio, ut servetur jus commune; Etenim nemo censetur in contractibus velle novum jus inducere: Quare cum neque jure antiquo, neque jure novo requirantur essentialiter denuntiationes ad valorem

rem Sacramenti Matrimonii, sequitur, quod qui dat facultatem, ut contrahatur matrimonium præmissis denuntiationibus, tantum velit admonere Procuratorem de suo debito, non tamen velit, matrimonium esse invalidum, si denunciationes omittantur; Sicuti, ut dicemus loco suo, propter eandem rationem est valida, quamvis illicita, absolutio a Censuris, quæ confertur, parte nondum satisfacta, etiamsi detur facultas absolvendi, satisfacta parte.

ARTICULUS III.

De Consensu coacto.

- I. Num sit irritum matrimonium contractum metu levi injuste incusso?
- II. In quonam sensu voluntas dicatur cogi a metu?
- III. In utroque foro est irritum matrimonium contractum metu gravi injuste incusso ad illud extorquendum.
- IV. Probabilius jure tantum Ecclesiastico, non jure naturæ, illud irritatur. Votum autem universum simili metu nuncupatum, ne jure quidem Ecclesiastico est irritum.
- V. Etiam contractus lucrativus gravi metu injuste extorius probabiliter est validus jure naturæ, quamvis dampnum resarciri debeat. Idemque dicas de contractu oneroso; & uerque contractus ad arbitrium metum passi rescindi potest.
- VI. Probabilius viderur, quod sit validum jure naturæ matrimonium celebratum per metum levem injuste incussum ad illud extorquendum. Idemque dicas de Voto.
- VII. Metus reverentialis secundum se est levis; (nisi minas, aut aliud simile secum ferat) esto nonnulli putent, matrimonium sic contractum esse irritum.

VIII. Quando matrimonium est invalidum ratione metus, aut alterius impedimenti occulti, non debet revalidari coram Parocho, & testibus: secus vero si impedimentum probari potest.

I. **R** Ecolenda prius sunt, quæ de metu diximus quæst. 2. de Sponsal. art. 8. quæst. 4. Primo, de metu gravi, & levi; Secundo, de iuste, & injuste incusso; Tertio, de incusso ad extorquendum ipsuni contractum, & de incusso ob alium finem; qui etiam potest, & iuste, & injuste incuti tam ab eo, cum quo est contrahendum, quam ab alio. Diximus ulterius, nullum contractum irritari a metu levi qualitercumque incusso; Nec a metu gravi incusso a causa extrinseca, non libera, puta, a metu naufragii; Nec a metu gravi iuste incusso, etiamsi ad extorquendum contractum, (ut communiter Doctores docent apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 228. quamvis Bonac. velit, solum contractum matrimonii irritari a metu gravi iuste incusso ad ipsum extorquendum.) Præterea nec irritari a metu gravi injuste incusso, sed non ad extorquendum ipsum contractum. Irritari tamen contractum matrimoniale in utroque foro, dumtaxat a metu gravi injuste incusso ad ipsum extorquendum, sive ab altero contrahentium, sive a tertio incutiatum; ut omnes docent contra Cardinal.; cum debeant matrimonia esse plene libera, nec contrahi cum iuria alterius; eo quod sint insolubilia. A simili tamen metu levi injuste incusso matrimonia probabiliter non irritantur; ut communius docent Doctores apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 230. Et constat, tum ex usu Ecclesiæ non irritantis matrimonia ex metu levi contracta; tum quia metum levem jura non considerant ex leg.

L 2 Nec

Nec timorem ff. De eo, quod metus causa, quia metus levis non multum detrahit libertatis. Sed oppositam sententiam esse pariter probabilem dicemus inferius.

II. Notandum præterea; Metum non posse proprie cogere voluntatem; tum quia quilibet actus voluntatis est voluntarius, cum sit ipsum velle voluntatis; tum etiam quia voluntas non potest pati violentiam; Nam cum ex Philosopho, Violentia sit ab extrinseco nullam vim conferente passio, seu resistente passio; voluntas autem eo ipso, quod consentit, jam confert vim, & consequenter non resistit; idcirco non patitur violentiam, nec proprie cogi potest. Quare metus in hoc tantum sensu dicitur cogere voluntatem, quatenus quæ metu compulsi volumus, ea metu sublato nollemus; & in tantum volumus, inquantum metus urget; Unde fit, quod ea, quæ per metum fiunt, dicantur voluntaria simpliciter, & libera; & idcirco peccat, qui metu mortis, verbi gratia, fidem negat: Contra vero, quæ per metum fiunt, dicuntur, juxta doctrinam Philosophi, & D. Th., involuntaria secundum quid, quatenus ea nollemus, si metus abesset.

III. Quaritur nunc primo; Sitne irritum, an irritandum matrimonium contractum metu gravi injuste incusio ad ipsum extorquendum?

Respondeo, esse ipso jure irritum in utroque foro. Ita communiter contra Cardinal. apud Perez sect. 1. Et constat ex cap. Significavit, De eo, quis duxit in matrimonium.

Neque dicas; Metus non tollit consensu simpliciter liberum, ut ostensus est: ergo non tollit constitutiva Matrimonii: ergo Matrimonium non est irritum, & nullum.

Confirmatur; quia baptismus metu suscepimus non est irritus: ergo

neque Matrimonium.

Respondeo enim, metum non tollere consensum simpliciter liberum, sed tollere consensum plene liberum, prout requiritur ad constitendum contractum, & Sacramentum matrimonii: Sicut enim est invalidum matrimonium clandestinum, quamvis non caret consensu libero, sed quia caret consensu libero requisito (videlicet qui fiat coram Parocho, & testibus) ita matrimonium metu contractum est irritum, non quia caret consensu libero, sed quia caret consensu plene libero requisito ad talem contractum.

Ad confirmationem patet disparitas: Matrimonium enim constituitur per contractum, qui fiat per consensum plene liberum, & quia talis consensus deest, posito metu, ideo sunt constitutiva Sacramenti Matrimonii, posito metu: Contra tamen; Sacramentum Baptismi habet pro constitutivis materiam, & formam distinctam ab ipso actu voluntatis, & ex nullo capite ostenditur, quod requiritur intentio suscipiendi baptismum plene libera: ergo Sacramentum baptismi validum est, etiamsi metu suscipiatur, dummodo habeatur intentio illud suscipiendi.

IV. Quaritur secundo; Utrum jure naturæ, an Ecclesiastico sit irritum Matrimonium tali metu contractum?

Respondeo cum Con., Sanch., Hurt., Perez sect. 11. contra Rebello, Mærat., Pont., Mol., quod solo jure Ecclesiastico; Nam jure naturæ non sunt irriti alii contractus metu initi; ergo nec contractus matrimonialis.

Confirmatur; quia non minor libertas jure naturæ requiritur ad suscipiendum baptismum, quam matrimonium, sed metus gravis non irritat baptismum jure naturæ; ergo neque matrimonium. Confirmatur secundo;

quia

quia non minus dolus reddit contractum secundum quid involuntarium, quam metus (puta, si quis per dolum fingat, se esse ditissimum, nobilissimum, sanum, &c. ad obtinendum matrimonium, cum tamen sit pauper, ignobilis, & morbo contagioso labrans) atqui jure naturae matrimonium dolo contractum non est irritum, nisi error, & dolus sit circa personam, & circa substantiam contractus; ergo nec metus irritat matrimonium jure naturae. Quare sicut jure Ecclesiastico est irritum matrimonium clandestinum, per hoc, quod Ecclesia statuerit, ad valorem contractus requiri consensum praestitum coram Parrocho, & testibus, ita est irritum matrimonium metu contractum, per hoc, quod Ecclesia statuerit, ad valorem matrimonii requiri consensum plene liberum.

Sequitur hinc primo, matrimonium metu contractum inter Infideles non esse irritum, sed solum irritandum, ut reliqui contractus; quia Infideles non sub sunt legibus Ecclesiasticis.

Sequitur secundo, matrimonium metu contractum inter baptizatos non confirmari juramento; sicut nec matrimonium clandestinum: Si quis tamen metu gravi compulsus juraret, se positum consensum plene liberum, hic tantum promitteret matrimonium cum juramento adimplendi talem promissionem; vi cuiusjuramenti obligaretur ad ponendum consensum plene liberum, si id poterit, & sic ad ineundum matrimonium; Sicuti juramentum de solvenda pecunia latroni obligat ad illam solvendam, ut diximus quæst. 2. art. 8.

Dices primo; non reperitur jus ultum canonicum irritans hujusmodi matrimonium; ergo non est irritum jure Ecclesiastico, sed jure naturae.

Respondeo cum Con., & Perez; quod quamvis non reperiatur jus leti-

ptum aperte irritans tale matrimonium, tamen cum ostenderimus ex una parte non posse esse irritum jure naturæ, & ex alia parte jus canonum in laud. cap. *Significavit*, supponat, tale matrimonium esse irritum, sequitur, quod jus Ecclesiasticum illud irritans, vel fuerit antiquius, & perditum; vel sit traditione acceptum; vel usu, & consuetudine introductum; vel vivæ vocis oraculo traditum.

Dices secundo; contra jus naturæ est, ut aliquis per injuriam acquirat jus in alterum: ergo matrimonium metu injusto contractum jure naturæ est irritum; siquidem ratione talis metus per injuriam acquireretur jus in alterum.

Respondeo, argumentum nimis probare, atque adeo nihil; Probat enim, quod etiam matrimonium dolo contractum sit irritum jure naturæ, etiamsi dolus, & error non cadant circa substantiam contractus; nam quando quis hujusmodi dolo inducit alterum ad matrimonium, etiam per injuriam acquirit jus; Quare distinguo antecedens; Est contra jus naturæ, ut valide aliquis acquirat jus in alterum per injuriam, nego; ut licite, concedo antecedens, & nego consequiam.

Dices tertio; Votum metu injuste incusio nuncupatum est nullum jure naturæ: ergo etiam matrimonium: Antecedens probatur, quia nemo debet obligari ex injuria, quam passus est; Et Deus respuit promissionem extortam per injuriam, nec illam approbare videtur, aut acceptare; cum nec inter homines talis promissio possit rationabiliter acceptari.

Respondeo, nego antecedens: Votum enim tali metu emisum, nec jure naturali, nec universim jure Ecclesiastico est irritum; unde indiget dispensatione; ut contra nonnullos docet Suar. tom. 2. de Relig. tract. 1. lib.

lib. i. cap. 8. Ad probationem dico, posse optime obligari apud Deum ex voto, qui injuriam passus est ab homine; sicut potest graviter offendere Deum, qui committit peccatum ex metu mortis; Potuit quidem Ecclesia tale votum irritare; Sicut potest irritare vota simplicia ante certam astatem emissa; & de facto irritat vota solemnia religiosa ante decimum sextum annum nuncupata; aut metu injusto extorta; at de facto votum illud non irritavit.

V. Infero ex dictis primo cum Sanch., Lefs., Perez disp. 17. sect. 7. contra Rebel., Medin., Azor., & alios apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 118. Contractum lucrativum (videlicet liberalis donationis, & promissionis) gravi metu extortum jure naturæ esse validum, & solum esse irritandum. Ratio est, quia ad valorem donationis, promissionis, & voti sufficit voluntarium simpliciter, etiamsi misceatur involuntarium secundum quid.

Neque dicas primo; qui per vini, & metum injustum extorquet donationem, tenetur ad restitutionem, ut omnes concedunt; ergo jure naturali talis donatio est irrita.

Respondeo enim teneri ad restitutionem, non quia contractus non fuit validus, aut quia non fuit translatum dominium; sed quia qui injuste metum intulit, tenetur resarcire damnum, quod per injuriam alter passus est; & idcirco potest alter ex natura rei beneficio juris repetere, quod donavit donatione metu extorta; & consequenter si non tradidit rem donatam, potest vi compensationis illam sibi retinere.

Neque dicas secundo; Usurarius tenetur jure naturæ restituere usuras acceptas, non ratione injuriæ, quam intulit danni usuras, sed quia donatio usurarum, utpote non simpliciter voluntaria, est irrita; ergo cum dona-

tio metu extorta, neque sit simpliciter voluntaria, est pariter jure naturæ irrita.

Nam respondeo, Usurarium teneri ad restitutionem, non quia donatio usurarum non fuit simpliciter voluntaria, sed quia nullus interfuit titulus validus, unde potuerit acquirere dominium usurarum; ad quemlibet enim contractum requiritur, praeter consensum, etiam justus titulus, ut possit transferri dominium; Verbi gratia, ad contractum onerosum venditionis, praeter consensum, requiritur titulus legitimus, videlicet, quod detur res pro pretio, Ad contractum permutationis requiritur titulus, quod detur res pro re; Eodem modo ad contractum lucrativum donationis, praeter consensum, requiritur etiam titulus legitimus, videlicet, quod detur res liberaliter, & ob nullam causam, seu nullo pretio accepto, & consequenter, quod detur res non debita ex justitia: At quando solvuntur usuræ, non habetur hic titulus legitimus donationis; non enim donantur liberaliter, sed dantur tanquam debita pro mutuo (qui titulus est illegitimus) & ideo Usurarius non acquirit illorum dominium, sed tenetur ad restitutionem.

Infero secundo, cum Sot., Navar., Henr., Perez disp. 17. sect. 4, contra eundem Rebel., etiam contractus onerosos (in quibus datur res pro re, aut pro pretio) gravi metu extortos esse validos jure naturæ, & solum rescindendos.

Probatur, quia in iis & datur titulus legitimus, & datur simpliciter voluntarium; ergo habentur ea omnia, quæ requiruntur ad valorem contractus, atque adeo sunt validi: Quod detur titulus legitimus, nempe datio rei pro re, nemo dubitat; Quod vero sufficiat voluntarium simpliciter, quamvis ratione metus sit involuntarium

rium secundum quid, constat ex dictis; unde sequitur, quod per traditionem rei post hujusmodi contractum transferatur dominium; Nam ex leg. *Traditionibus Cod. de pactis*, traditione transfertur dominium, quando concurret titulus legitimus; in causa autem nostro datur titulus legitimus: ergo per traditionem transferatur dominium.

Notandum tamen, quod qui per injuriam metum intulit, teneatur, etiam jure naturae compensare damnum injuste illatum; atque adeo restituere rem cum fructibus, si id velit is, qui coactus contraxit; Unde etiam potest hic occulere sibi damnum compensare, & rem suam sibi recuperare; Sicut etiam dum res aliqua mihi promissa est, si illam aliter consequi nequeo, & damnum aliquod ex illa promissione non adimpta sim passus, possum mihi occulere consulere, ut notat Perez loc. cit. sect. 5.

Addo cum Sanch. lib. 4. disp. 8. non solum jure naturali, sed nec jure positivo esse irritos contractus, sive lucrativos, sive onerosos metu injusto extortos, sed solum esse rescindendos pro arbitrio ejus, qui coactus contraxit; non tamen pro arbitrio ejus, qui metum incussum; Unde hic tenetur stare contractui, si alter velit.

VI. Quæritur tertio; An sicut est irritum ex lege Ecclesiastica matrimonium contractum ex gravi metu injuste incusso ad ipsum extorquendum, ita pariter sit irritum matrimonium ex levi metu injusto contractum? Quia occasione pariter queritur; An jure naturali, & in foro conscientiae rescindendi etiam sint contractus per metum levem injustum initi, ad arbitrium ejus, qui metum levem passus est? Et an ad ullam restitutionem teneatur, qui injuste per metum levem extorsit contractum, sive onerosum, sive lucrativum?

Respondeo, Less. lib. 2. cap. 17. dub. 6., Navar., Sylvestrum, Sanch. lib. 4. disp. 9. apud Perez disp. 17. sect. 6., & Pal. apud Tamb. lib. 1. cap. 2. §. 6. docere, Contractus initos per metum levem injuste incussum ad illos extorquendos, eti validos, posse in foro conscientiae rescindi auctoritate propria; Cum enim compars teneatur relaxare fidem metu levi injusto extoram, & resarcire damnum injuste causatum, poterit ipsemet vim patiens pari modo in conscientia resumere fidem a se datam: Idque etiam si contractus juramento firmatus sit, dummodo absolutio a juramento petatur. Additque Sanch., posse in foro externo metum levem passis succurri officio Judicis, ut rescindatur contractus.

Hæc tamen omnia negant probabilius Perez, Medin., & alii apud eundem Tambur.; docent enim, Neque in foro conscientiae hujusmodi contractus rescindendi posse; Neque extorta tali metu restituenda esse; Neque in foro externo posse per Judicem tales contractus rescindendi. Ratio est, quia metus levus facile repellit potest, atque adeo, qui illum non repellit, presumitur in foro conscientiae libere velle contrahere, nec ipsi factam esse injuriam. Et ratio a priori est, quia parum pro nihilo reputatur; ergo si metus levus injustus parum laedit libertatem, & parum minuit de voluntario, non tollitur, quoniam minus consensus dicatur plene liber, & sine injuria positus.

Utraque hæc sententia est probabilis; & ideo cum eodem Tamb. censeo, probabile esse, quod docet aperte Lug., Matrimonium contractum ex metu levi injuste incusso ad ipsum extorquendum esse ipso facto irritum ex eadem lege Ecclesiastica; quia caret consensu perfecte libero; Sed probabilius est, quod docent Pont., & San-

Sanch. hujusmodi matrimonium esse validum, quia non caret plena libertate, cum metus sit levis, & parum pro nihilo reputetur.

Quod diximus de matrimonii validitate, dicendum est de validitate voti. Aliqui enim apud Sanch. lib. 4. in Décalog. cap. 3. num. 23., & Tambur. loc. cit. §. 8. docent, probabile esse, quod votum etiam ex metu levi in ulti incusso ad ipsum extorquendum sit irritum, eo quod votum debeat esse omnino spontaneum, & perfecte liberum, saltem ex jure Ecclesiastico. Ex quo inferunt, quod, qui ex metu injusto ordinatur Sacerdos, non teneatur voto castitatis, sed possit sine dispensatione ad nuptias transire, dummodo cessante metu, non exercuerit actum Ordinis Sacri; nam per tale exercitium, seu usum ordinis, ratificaretur Ordo, & votum illi annexum; Sed probabilius censeo cum communiori, Votum, nec per metum levem, nec per gravem invalidari, ne jure quidem Ecclesiastico, ut diximus quæsto superiore cum Suar. contra Navar., Sà, Tolet., Sanch. apud eundem Tambur.

VII. Quæritur quarto; An metus reverentialis dicatur metus gravis reddens irritum contractum matrimonii, & irritandos reliquos contractus? Et idem quæritur de precibus importunis.

Respondeo cum Sanch. lib. 4. disp. 6., Perez sect. 7. contra Pont., & alios apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 20., metum reverentiale (quo filius timet offensionem Parentum, pupillus Tutorum, subditus Principis, Uxor Mariti, Monachus Abbatis, Clericus Episcopi) non esse gravem secundum se, cum non soleat concutere animum constantem; Nisi etiam secum ferat indignationem Patris, seu Superioris diurnam, vel verbera, aut preces importunas cum minis,

quas vere Pater, aut Superior soleat exequi. Quare idem dicendum de precibus importunis, qua secundum se causant metum, dumtaxat levem; nisi iis adjungatur metus reverentialis cum minis, aut verberibus, &c. Ratio est, quia quamvis preces instantissimæ contineant in se aliquod genus vexationis, & gravaminis; si tamen absit reverentia petentis, cui malum debeatur, aut minæ, non ita graviter opprimunt, ut inferant absolute vim, & virum prudentem, ac constantem cogant, & ipsius consensum exorqueant.

Hinc sequitur, quod si filius non audens contradicere Patri, matrimonium contrahat, illud sit validum; Et si aliquid promittat, aut donet, aut alicui juri renunciet ob solum metum reverentiale, quando aliud malum non timet, non possit petere rescissionem; Nec dicatur Pater injuriam intulisse; nec teneatur ad restitucionem ejus, quod per tales consensum consequutus est: Et idem dicas de Uxore respectu viri, si solum id fit ex metu reverentiali; Secus vero si adjungantur minæ, indignatio diurna, seu torvus aspectus, exprobratio durioribus verbis, &c., qua tamen non cito transeant; hæc enim animum constantis viri concurunt.

Lesl. tamen lib. 2. cap. 17., & ali apud Dian. loc. cit., & resol. 117. cum putent, esse irritandos contractus ex metu, etiam levi, injusto celebratos, docent a fortiori, rescindi etiam posse contractus celebratos metu reverentiali, & ex precibus importunis; ac teneri ad restitucionem, qui commodum inde reportavit. Docent proinde alii apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 230. cum Navar., & Covar. matrimonium ex metu reverentiali, aut ex levi metu injusto contractum esse irritum. Quam sententiam Sanch. lib. 4. disp. 17. fatetur esse probabilem. Quam-

Quamvis verum sit, quod in foro externo solum contractus ex gravi metu celebrati rescindi possint; Sicut in foro externo solum datur actio, quando lesio est ultra dimidium, quamvis in foro conscientiae detur obligatio restitutionis, etiamsi lesio sit infra dimidium.

VIII. Quaritur ultimo; An matrimonium ratione metus invalidum, siat deinde validum per copulam subsequitam?

Respondeo cum Con., Sanch., Henr., quod si copula habeatur animo fornicario, non reddit matrimonium validum; si vero fiat affectu maritali, & non sit metu extorta, matrimonium sit validum; cum ponatur tunc consensus plene liber, qui desiderabatur. Post Tridentinum tamen si impedimentum metus erat occultum, non debet matrimonium revalidari coram Parocho, & testibus, sed sufficienter revalidatur per copulam inter conjuges habitam, sicut revalidatur matrimonium, quod propter aliud impedimentum occultum fuit invalidum. Si tamen impedimentum non erat occultum, sed probari poterit in foro externo, matrimonium non potest revalidari, nisi coram Parocho, & testibus, ut dicimus art. seq.

Difficultas etiam est; An, si copula metu etiam extorqueatur, revalidet contractum meticulosum invalidum?

Respondeo cum citatis Doctoribus contra Paludan., quod probabiliter non revalidet, etiamsi fiat affectu maritali. Ratio est, quia deficiente consensu requisito ad valorem contractus, impossibile est, ut contractus sit validus; sed accedente novo metu compellente ad copulam, deficit consensus plene liber requisitus ad valorem matrimonii; ergo matrimonium non est validum; Unde iste ta-

Pars VII.

lis, qui metum patitur, deberet mori potius, quam consummare, si non potest cum plena libertate, & nullo habito respectu ad metum, consentire ad matrimonium. Ex quo etiam sequitur, quod qui ob gravem metum matrimonium contraxit, & consummavit, possit postea resilire, quia consummatio illa fuit fornicaria.

Docent tamen Doctores, contrariam sententiam non esse improbabilem, quod scilicet revalidatur matrimonium per copulam, quamvis metu extortam. Unde in gravi necessitate posset quis tali opinione uti, ne peccet consummando matrimonium.

ARTICULUS IV.

De Consensu simpliciter clandestino.

- I. Recensentur decem conditiones a Tridentino requisita ad solemnitatem Matrimonii.
- II. In nulla necessitate valide contrahitur matrimonium sine Parocho, & testibus; sed quid si Parochus nullatenus haberet possit in locis Insidelium?
- III. Lex ista Tridentini non patitur Epichejam, quia inducit formam substantialis contractus. Et idem dicendum de variis similibus legibus.
- IV. Hac, & similibus legibus obligantur etiam ignorantes illas invincibiliter.
- V. In hac lege nequit Episcopus dispensare; quamvis hic possit, urgente necessitate, dispensare aliquando in nonnullis impedimentis dirimentibus.
- VI. Non obligat lex ista, ubi Tridentinum non est receptum; nec in Provinciis Insidelium. Ex quo non sequitur, quod in iis locis non debant alia leges Ecclesiastica servari.
- VII. Quando revalidandum est matri-

M mo-

- monium proprie*m* impedimentum omnino occultum (quod scilicet per duos testes probari non potest) non est opus Parocho, & testibus; non quia cessat finis legis, sed quia talis casus a lege non comprehenditur. At matrimonium sub conditione celebratum coram Parocho, & testibus, num debeat coram iisdem, purificata conditione, iterum contrahiri?
- VIII. Quinam debeat esse Parochus, & quinam testes?
- IX. Etiam in aliena diaœsi potest proprius Parochus, licet sit excommunicatus vitandus, matrimonio assistere, ac dare Sacerdoti licentiam ad assistendum.
- X. Num sit validum Matrimonium, si Sacerdos assistens licentiam permetum, aut per dolum extorserit?
- XI. Quid si matrimonio assistat Sacerdos post licentiam obtentam, sed antequam id resciverit?
- XII. Quid si Parochus sit intronus, & errore tantum communii, sive titulo colorato reputetur Parochus?
- XIII. Non requiritur, ut testes sint omni exceptione maiores.
- XIV. Quinam consensu*m* requiritur, si privatum revalidandum sit matrimonium? Et an illius nullitas utrique coniugi debeat esse nota?

I. Dicitur matrimonium simpliciter Clandestinum, quod scilicet non fit coram Parocho, & testibus; Dicitur vero Clandestinum secundum quid, quod fit absque denunciationibus. Hic agendum de clandestino simpliciter, deinde de secundum quid clandestino.

Notandum interim, Ad solemnitatem matrimonii decem conditiones requiri a Trident. fest. 24.; Primo, quod saltem triduo ante consummationem matrimonii suscipiant Sacra-

mentum Pœnitentia, & Eucharistie conjuges; quamvis hoc sit consilium, non præceptum: Secundo, ut cum duobus, vel tribus testibus assistat contractui matrimoniali Parochus, vel alius Sacerdos de Parochi, vel Ordinarii licentia: Tertio, ut coram illis exprimant consensum, ita ut possint de eo testificari: Quarto, ut non cohabitent, antequam benedictionem Ecclesiæ recipient; hoc autem principi sub mortali putat Palud.; sub veniali Cajet.; Et Sot., qui Tridentino interfuit, putat esse consilium apud Perez disp. 39. sect. 1.: Quinto, ut tribus diebus festivis continua denuncientur inter missarum solemnia, qui contrahere debent, ut impedimenta si forte sint, revelentur: Sexto, ut utrumque contrahentem roget Parochus, & intelligat utriusque consensum: Septimo, ut eo intellecto dicat: Ego vos conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; quæ, aut similia verba sunt solum necessaria necessitate præcepti, non Sacramenti: Octavo, si probabilis suspicio sit, quod matrimonium sit malicie impediendum, vel præmittatur una tantum denunciatio, vel denunciations fiant post matrimonium ratum ante consummationem, nisi Ordinarius judicaverit esse remittendas: Nono, ut Parochus in libro diligenter annotet nomina conjugum, ac testium, diem, ac locum matrimonii: Decimo, ut nullus Sacerdos sine licentia Parochi eos jungat sub pœna suspensionis.

H. Quæritur nunc primo; An in aliquo casu licitum, & validum sit matrimonium simpliciter clandestinum; Puta, si in articulo mortis sit praecisa necessitas contrahendi cum concubina in bonum prolis per matrimonium legitimandæ, & absit omnino Parochus; Vel si lex Tridentini irritantis matrimonium clandestinum ignoretur invincibiliter; Vel si matrimonium celebra-

bratum coram Parocho cum impedimento occulto sit deinde revalidandum?

Respondeo cum communi contra Veracruz, Vegam, &c. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 234., & part. 5. tract. 3. resol. 98., matrimonium in quacumque necessitate contractum absque Parocho esse simpliciter invalidum; quamvis fiat coram sexcentis testibus. Ratio est; quia Trident. loc. laud. absolute, & sine illa exceptione irritat hujusmodi matrimonia, & reddit personas inhabiles ad sic contrahendum; Sicut redundunt inhabiles ad matrimonium consanguinei usque ad quartum gradum: Quare sicut in nullo casu validum est matrimonium inter consanguineos absque dispensatione, quantumcumque urgeat necessitas; ita nec matrimonium absque Parocho, & testibus.

Id autem videtur intelligendum, si Parochus haberi possit, ut docent Bellarm., Dian., Tambur., Arsdekin, & alii apud Croix num. 178. Nam ubi Parochus haberi non potest, ut apud Turcas, & Infideles, tunc satis est, quod duo testes adhibeantur, & ad summum matrimonium celebretur coram Magistratu Civili; ut non semel S. Congregatio respondit; Idque verum est, quamvis Christiani non sint perpetuo apud Infideles remansuri, sed spem habeant, quod sint in Patriam reversuri; Immo cum in locis Infidelium lex Tridentini recepta non sit, non datur obligatio ibi illam servandi, ut dicemus num. 6.

III. Infertur hinc primo, quare leges omnes humanæ, & etiam positive divinæ recipere possint aliquando Epichejam, seu suavem interpretationem, non tamen lex ista? Ratio est, quia talis lex inducit formam, & solemnitatem substantialem contractus, inhabilitando personas ad contrahendum; ergo Epichejam pati non pot-

est. Quod pariter dicendum de lege inhabilitante consanguineos ad matrimonium contrahendum. Talis est etiam lex annullans professionem ante decimum sextum annum; aut ante annum Novitiatus completum; Necnon lex irritans collationem beneficiorum per simoniam confidentia factam: Et in jure civili lex inhabilitans prodigum ad contrahendum; Et lex declarans contractus pupillorum sine certa solemnitate factos, esse nullos; Lex etiam de solemnitate testamentorum, &c. Ratio itaque a priori est; quia tales leges inducunt novam formam substantialis contractus; ergo si ea desit, quacumque de causa desit, contractus est nullus; quia nihil consistere potest sine sua forma substantiali: Quamvis iuxta laudatas responsiones S. Congregationis, in locis, ubi Parochus haberi nequit, sufficiat, duos testes adhibere, eo quod forma substantialis relate ad Parochum, aut Episcopum ibi servari non possit.

IV. Infertur secundo contra nonnullos apud Sanch. lib. 3. disp. 17., legem hanc irritantem matrimonium clandestinum obligare etiam ignorantibus invincibiliter illam. Ratio est, quia ignorantia legis solum excusat a culpa, & consequenter a pena; non tamen reddit validum id, quod per legem ignorantiam est irritum: Sic ignorantia legis irritantis professionem ante decimum sextum annum non reddit validam talem professionem; Et ignorantia legis imponentis irregularitatem ex defectu, non facit, ut qui talis defectum contraxit ignorando legem illam, possit deinde licite Ordines suscipere; quia est lex inhabilitans defectuosos ad Sacros Ordines. Illa solum lex, qua irritat aliquid in peccatum, non obligat invincibiliter ignorantibus; quia celiante per ignorantiam culpa, cessare debet & pena: Talis est lex irritans acquisitionem fructuum

M 2 be-

beneficii, non recitato officio; qui enim ex obliuione officium non recitat, facit fructus suos; Talis est aliquando juxta multorum sententiam lex de casuum reservatione: Contra vero; quando lex irritat aliquid ob bonum publicum, etiam ignorantibus obligat juxta sensum explicatum.

V. Infertur tertio, non posse Episcopum, urgente necessitate, in tali lege dispensare, ut scilicet possit matrimonium valide contrahere sine Parocho. Ratio est, quia Tridentinum id constituit tanquam formam substantiam, & declaravit personas esse omnino inhabiles ad sic contrahendum; Ubi notanda est illa dictio, Omnino, quæ excludit omnem gratiam, & dispensationem: Contra tamen potest in multorum sententia apud Perez disputatione 46. sect. 6. dispensare Episcopus, urgente necessitate, in impedimentis dirimentibus matrimonium. Ratio est, quia ista solent a Pontifice dispensari, & universim, urgente necessitate, potest Episcopus dispensare in iis, in quibus potest, & solet dispensare Pontifex, ut dicitur cum de legibus.

VI. Infertur quarto, quod ubi Tridentinum non est receptum, ea lex non obliget, atque adeo matrimonia clandestina ibi sint valida (quamvis graviter illicita); sicut etiam in Provinciis Infidelium. Ratio est, tum quia decretum Tridentini in iis locis non habet vim ex defectu publicationis ab ipso Tridentino requiritæ ad hoc, ut obliget; tum etiam quia universim Doctores in materia de legibus docent, legem non obligare, nisi sit promulgata, & acceptata; Et solum ab Alex. VII. damnata est illa prop. 28. dicens: *Populus non peccat, etiam si absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

Hinc fit, quod captivi Christiani valide matrimonium contrahant apud Infideles sine Parocho, & testibus;

necnon Mercatores, qui versantur in locis, ubi Tridentinum non est receptum. Ita Sanch., Hurt., Perez. Ratio est, quia contrahentes quoad leges contractuum sortiuntur forum loci, in quo contrahunt: ergo si in locis Infidelium, aut aliis non viget lex ista Tridentini, ad illam non obligantur fideles, dum contrahunt matrimonium. Idque verum est, etiam in iis locis domicilium non fixerint, ut docent Doctores citati contra Ledefm., & Henr. apud Perez disp. 39. Hæc de causa Sacerdos latinus transiens per Græciam potest celebrare in fermento juxta morem Græcorum, ut notat idem Bonac., & Neapolitanus post cibis paschalibus velci primis quatuor diebus Quadragesimæ, si e tempore Mediolani commoretur, ubi ea est consuetudo. Et universim quoties in aliquo loco sine culpa non servantur leges juris communis, potest quilibet accedere illuc eo fine, ut talibus legibus non obstringatur.

Contra vero; ut notat Leander, qui habitat, ubi Tridentinum non est promulgatum, puta in Svecia, Dania, Pomerania (nam in Gallia quoad legem Clandestinitatis esse receptum nullius regio jam ab anno 1602. docet Lessius apud Croix de Matrimonio n. 767.) si transiens per locum, ubi Tridentinum est receptum, vult matrimonium contrahere, debet illud contrahere coram Parocho; quia contratus celebrari debent juxta leges loci, in quo sunt, ex leg. *Si fundas ff. de Evictione:* Et eodem modo si Mediolanensis Ver. gr. transiret Neapoli primis diebus Quadragesimæ, deberet abstinere a cibis Paschalibus, quia debet servare leges universalis Ecclesiæ, quoties ex legitima contraria confutidine loci non excusat.

Neque dicas, quod si fideles non tenentur contrahere coram Parocho juxta legem Tridentini, dum sunt in

locis Infidelium, necnon ubi Tridentinum non viget inter fideles, sequeatur, neque teneri legibus jejunii, auditionis sacri, & aliis legibus Ecclesiasticis, dum sunt in locis Infidelium.

Nego enim sequelam. Ratio est, quia illæ leges Ecclesiasticae, ut obligent ubique omnes fideles, satis est, quod sint publicatae in Curia Romana, vel in alia qualibet Diœcesi fidelium: Contra vero, lex Tridentini, ut obliget, requirit ex ipsa dispositio- ne ejusdem Tridentini, ut diximus, speciale publicationem in eo loco, ubi matrimonium celebratur. Unde cum inter Infideles ea Tridentini lex non sit publicata, in iis locis nemo tenetur legem illam servare: Quamvis fideles in iis locis commorantes alias antiquas leges Ecclesiasticas servare te- neantur, videlicet adhibere testes, qui- bus conjugium probari possit, & in- strumenta publica de eo confidere.

VII. Infertur ultimo, quod si ma- trimonium celebratum coram Parocho, & testibus fuit nullum ob occu- tum aliquod impedimentum, puta, ob affinitatem, satis sit ad illud revaliandum, quod, sublato impedimen- to, contrahentes inter se privatum re- novent consensum. (Esto verum sit, quod si impedimentum erat publicum, aut probari poterat plene, scilicet per duos testes, omni exceptione majo- res, quamvis nunquam sit probandum, debeat iterum matrimonium contrahi coram Parocho, & testibus). Ita Sanch. lib. 2. disp. 37., Perez, Bonac., Hurt., Navar. contra Pont., Le- defm., Guttier. Ratio est, quia lex irritans matrimonium clandestinum non comprehendit hunc casum; nulla enim lex comprehendit casum, in quo cessat ratio, & finis legis; sed finis hujus legis est, ne conjuges pos- sint rescindere contractum matrimo- nialem absque eo, quod Ecclesia pos-

sit illis resistere; qui finis cessat in casu nostro, ut patet; ergo lex ista non se extendit ad casum adductum.

Hic autem subtiliter notandum cum Sanch., aliud esse, quod lex non ob- liget in casu, quem non comprehen- dit, eo quod cesset finis legis; aliud vero esse, quod lex in casu, quem comprehendit, cestet obligare, eo quod cesset finis legis: Quod hoc e- xemplo declarat Sanch.: Fingamus, Superiorem præcipere Religiosis, ne adeant locum, ubi operarii laborant, idque eo fine, ne loqueliis illos impe- diant; Si Religiosi adeant eum locum, & taceant, cestat quidem in tali ca- su finis legis; sed lex talem casum ve- re comprehendit; Et ideo Religiosi illum locum adeantes, quamvis taceant, adhuc sunt inobedientes; nisi Epicheja aliud suadeat: Contra vero, si Religio- si adeant eum locum die festivo, quan- do non sunt ibi operarii laborantes, lex talem casum non comprehendit. Unde Religiosi eo adeantes, imo et- iam ibi loquentes, legem illam non violant. Idem dicas in re nostra: Si matrimonium celebraretur aliquando coram centum testibus, cestaret qui- dem finis legis exigentis Parochum; At non cessat in tali casu lex; quia lex exigens aliquid, tamquam formam substantialem, non cessat, quando ces- sat in aliquo casu particulari finis le- gis; unde matrimonium coram cen- tum testibus, sed non coram Paro- cho celebratum, est invalidum: Con- tra tamen; si matrimonium sit cele- bratum coram Parocho, & testibus invalide propter occultum aliquod im- pedimentum, quando deinde celebra- tur, sublato impedimento, non re- quiritur assistentia Parochi, & testium, ut valide celebretur; non quia cessat finis legis comprehendentis hunc ca- sum, sed quia lex ista talem casum non comprehendit.

Si tamen coram Parocho, & te-
sti-

stibus celebratum sit matrimonium sub conditione aliqua, ea purificata, probabilius est, quod debeat iterum coram Parocho, & testibus matrimonium contrahi; aut saltem, quod illi certiores fiant de conditione jam purificata, ut possint de ea testari, prout dicemus art. 6. num. 4.

VIII. Quæritur secundo; Quinam Parochus, & quinam testes debeant matrimonio assistere, ut illud non datur clandestinum, sed publicum, ac solemne?

Respondeo, quod ad validitatem, & publicitatem matrimonii requiratur assistentia proprii Parochi, aut Ordinarii, aut assistentia alterius Sacerdotis de proprii Parochi, aut Ordinarii licentia; necnon assistentia duorum, vel trium testium habentium usum rationis, etiam si non sint omni exceptione maiores; ut communiter docent cum Sanch. disp. 41. contra nonnullos, qui volunt, testes debere esse omni exceptione maiores, ut dicemus in calce hujus articuli.

Infertur hinc primo, posse etiam assistere, vel dare licentiam alteri Sacerdoti assistendi matrimonio, non solum Vicarium Capitularem, sed etiam Vicarium Generalem (quia facit cum Ordinario unum Tribunal) non vero Vicarium foraneum: Ratio est, tum quia universim, quod conceditur in jure Episcopo, conceditur pariter ejus Vicario Generali, nisi expresse excludatur; tum etiam, quia Vicarius Generalis, non vero foraneus, venit nomine Ordinarii, seu habentis ordinariam jurisdictionem; ut communiter docent contra Ledesm. apud Perez disp. 40. sect. 1: Archiepiscopus vero in Dioecesi Episcopi suffraganei solum habet ordinariam jurisdictionem, dum actu visitat ex cap. ult. de Censibus in 6.; vel in causis ad ipsum per appellationem devolutis; Ideo tunc solum potest assistere matrimonio, aut

alteri Sacerdoti dare licentiam assistendi.

Sciendum tamen ex communi Theologorum doctrina, & ex declaratione Cardinalium, Parochum, vel Episcopum solius originis non censeri relate ad hunc effectum proprium Parochum, aut Episcopum. Quare dicitur proprius Parochus, vel Episcopus solum ille, in cuius Parochia, vel Dioecesis alter Sponsus habet domicilium, vel quasi domicilium; hoc est, vel habitat cum animo ibi permanendi perpetuo (etiam si per horam dumtaxat ibi habitaverit, ut advertit Perez disp. 40. sect. 2.) vel habitat animo permanendi per majorem partem anni; ita ut pariter primo die, quo incipit ibi habitare cum tali intentione ibi habitandi per majorem anni partem, quasi domicilium acquirat, & eo ipso primo die possit ibi matrimonium contrahere; ut pariter notat Croix de matrim. num. 722. Et sane si domicilium, aut quasi domicilium satis erit, ut possit quis alicubi suscipere omnia Sacra menta (excepto Sacramento Ordinis, & tonsura, ad quae non fas est, quasi domicilium; sed requiritur, vel domicilium, vel origo, vel beneficium eo modo, quo exprimitur in Bulla Innoc. XII., quae incipit Speculatores.) Et ut possit ibi sepelli, & ad leges illius loci astringi; consequenter id etiam satis erit, ut possit coram Parocho illius loci matrimonium contrahere.

Quod si quis aequaliter habiter in duplice Parochia, Verbi gratia, astare in una, & hyeme in altera, uterque dicitur proprius Parochus; ut communiter docent cum Sanch. contra Navar. existimantem, requiri assistentiam illius Parochi, in cuius Parochia matrimonium contrahitur.

Parothus autem proprius Vagabundorum relate ad assistendum matrimonio, & ad audiendas confessiones dicitur.

dicitur is, in cuius Parochia actu habitant: Præcipit tamen Tridentinum, ne Parochi eos conjungant, nisi diligenter prius inquisierint de eorum statu, & rem ad Ordinarium detulerint, ejusque licentiam obtinuerint: quæ si Parochus non præstet, peccat graviter, sed matrimonium, cui assistit, est validum.

IX. Infertur secundo, Parochum posse valide, & licite assistere matrimonio, etiam in aliena Parochia, & Diocesi; sicut etiam dare licentiam assistendi. Ita communiter contra Navar. apud Sanch. lib. 3. disp. 19. Ratio est, tum quia Tridentinum exigit solum assistentiam proprii Parochi, non vero assistentiam proprii Parochi in propria Parochia; tum etiam quia soli actus jurisdictionis contentiose, & litigiose non possunt extra proprium territorium exerceri; Assistere autem matrimonio simpliciter non est actus jurisdictionis, ut patet; quia nullus actus Ordinis, aut jurisdictionis potest fieri ab invito, & contrariam intentionem habente ex leg. Non omnis ff. de rebus creditis; at assistentia Parochi omnino invita, & contrariam intentionem habentis sufficit ad valorem matrimonii, ut omnes docent; ergo talis assistentia non est actus jurisdictionis. Præterea dare licentiam assistendi matrimonio aucteris Sacerdoti, vel non est proprius actus jurisdictionis, ut docet Navar.; quia Parochum dare hanc licentiam nihil aliud est, quam substituere sibi aliquem idoneum testem, potestate sibi ad hoc facta a Concilio, quod non est actus jurisdictionis: Vel si est actus jurisdictionis, ut docet Con. disp. 27. dub. 2., eo quod dare licentiam videatur esse actus superioritatis, certe non est actus jurisdictionis contentiose, sed gratiose, & voluntariae, & consequenter exerceri potest extra locum propriæ jurisdictionis.

nis, seu extra proprium territorium ex communi Doctorum doctrina.

Infertur tertio, Parochum, etiam non Sacerdotem, posse valide, & licite assistere, vel dare licentiam Sacerdoti assistendi matrimonio; ut communiter docent contra Rodriq., & alios apud Perez disp. 40. sect. 3. Ratio est, quia Tridentinum in Parocco non exigit Sacerdotium.

Infertur quarto, validum esse matrimonium, cui assistit Parochus, non solum interdictus, cui prohibitum est assistere matrimonio, aut suspensus, aut irregularis, aut excommunicatus toleratus (quod communiter docent) sed etiam cui assistit; vel dare licentiam assistendi Parochus excommunicatus non toleratus; ut communius docent contra Avilam 2. part. de Censuris disp. 3. dub. 1. Ratio est, quia excommunicatus non toleratus invalide exercet solos actus jurisdictionis; at assistere matrimonio non est actus jurisdictionis, ut diximus: Neque est actus jurisdictionis dare licentiam assistendi, ut fert communior, & probabilius sententia apud Perez disp. 40. sect. 4.; Etenim collatio talis licentiae non est institutio Judicis, sicut dare licentiam audiendi confessiones; nec pertinet ad Superiorem, qua talem (ut dare licentiam administrandi Eucharistiam) sed est quædam designatio spectatoris, qua talis, ut possit testificari de matrimonio, facta ex ordinatione Tridentini, a quo immediate Sacerdos designatus accipit potestatem assistendi, & non a Paroco designante: Ad eum prorsus modum, quo quando Episcopus dat facultatem audiendi confessiones Sacerdoti, quem sibi Titius elegerit, in tali casu non Titius, sed Episcopus dat Sacerdoti immediate potestatem audiendi confessiones.

Hinc etiam est, quod Sacerdos degradatus possit etiam valide assistere
de

de licentia Parochi, ut docet Sayr. apud Bonac. punct. 8. Ratio est, quia versamur in materia matrimonii, quæ favorabilis est, & quia Sacerdos degradatus adhuc est Sacerdos.

Addo ex Sanch. lib. 3. disp. 21., Hurt., Perez contra Pont., quod Parochus excommunicatus vitandus non solum valide, sed etiam licite assistere possit matrimonio, quando ad id requiritur. Ratio est, quia licitum est communicare cum excommunicato vietando, quando adest aliqua necessitas; In casu autem datur necessitas sufficiens; cum non possint sponsi absque proprio Patrocho contrahere; ergo posunt illius assistentiam requirere; atque adeo potest ille licite assistere, vel dare licentiam alteri assistendi. Non potest tamen benedicare sponsos solemni benedictione; quia sine ulla necessitate communicaret cum fidelibus in divinis officiis; nulla enim datur necessitas benedictionis solemnis; cum id non pertineat ad decentem celebrationem contractus matrimonialis; & ideo solet id subsequi multo tempore post contractum matrimonium. Quod si assistenter matrimonio sine ulla necessitate Parochus excommunicatus vitandus, peccaret quidem, sed irregularitatem non incurret: quandoquidem non violaret censuram per exercitum Ordinis Sacri; non enim pertinet ad Ordinem Sacrum assistere matrimonio, cum possit sine sacro Ordine Parochus assistere: Contra vero Irregularitatem incurreret, si benediceret solemniter sponsos, quia benedictio solemnis sacram Ordinem requirit, ut notat Perez disp. 40. sect. 4.

X. Dubium est primo; An sit validum matrimonium contractum coram eo Sacerdote, qui licentiam assistendi aut obtinuit per dolum, aut extorsit per vim, ac metum gravem?

Respondeo cum Bonac. punct. 8.

& Perez distinguendo; Est enim validum, si licentia extorta sit per metum gravem, neconon si per dolum, & mendacia versantia circa causam impulsivam: Est vero invalidum, si extorta sit licentia per dolum verfan tem circa causam finalem, seu circa substantiam rei; aut si concedens licentiam expresse dicat, se illam non concedere, deficiente veritate, seu non veris expressis. Probatur per partes: Primo valida est licentia per metum extorta. Ita Sanch lib. 3. disp. 38., Con., & alii communiter. Ratio est, quia, ut diximus, art. super, metus non tollit voluntarium, sed dolum tollit plene voluntarium; Unde contractus metu celebrati sunt validi jure naturali, & positivo, quamvis sint rescindendi. Secundo, est invalida licentia obtenta per dolum, & mendacia versantia circa causam impulsivam, Verbi gratia, si petatur licentia nomine alicujus Magnatis, ut eo innatu facilius concedatur. Ratio est, quia ex Theologorum, & Jurisperitorum axiomate, cessante tantum causa impulsiva, non cessat dispositio. Addo cum Perez, esse etiam validam licentiam, si falso exponatur aliqua causa, quæ sit impulsiva simul, & motiva, qua scilicet cessante, nullatenus licentia concederetur, dummodo vere datur etiam aliqua alia causa motiva, propter quam absolute concedatur licentia. Ratio est, quia in tali causa haberetur sufficiens vera causa motiva, & finalis, propter quam licentia concedatur. Tertio, si falsa sit omnis causa finalis, seu motiva exposta, nulla est licentia. Ratio est, quia nihil est magis contrarium consentui concedentis licentiam, quam talis error, ex leg. Si per errorem ff. de jurisdiu ne omnium iudicium. Quarto; invalida est etiam licentia, quando concedens illam expresse dicit, se talem licentiam non dare, deficiente veritate cau-

causæ expositæ . Ratio est , quia expresse negatur consensus , deficiente veritate illius causæ , qualiscumque ea sit ; & ideo rescripta Pontificum do lo obtenta sunt nulla ; quia expresse dicunt : Veris expositis .

XI. Dubium est secundo ; An valide assistat matrimonio Sacerdos post obtentam licentiam assistendi , sed antequam habeat notitiam talis licentiae ; verbi gratia , quia literæ expeditæ sunt , sed nondum pervenerunt ?

Respondeo , quod invalide assistet , ut communiter docent cum Sanch. lib. 3. disp. 36. , Perez , & aliis contra Sylvest. , & alios apud Suar. lib. 8. de legibus cap. 25. num. 10. Ratio est , quia , universim concessio , vel privilegium concessum privatæ personæ nihil potest operari , antequam habeatur ejus notitia ab ipso privilegiario ; quicquid in contrarium doceat Silvest. Et ratio a priori est , quia privilegium , & licentia sunt quædam donatio ; Hæc autem non acquiritur ante acceptationem , nec acceptatur ante notitiam ; ergo licentia , & privilegium ante notitiam , quod sint concessa , sunt invalida . Non nego , posse Principem Supremum aliquando concedere privilegium , quod vim suam habeat , antequam ad notitiam privilegiorum perveniat ; sed intentio concedentis regulariter non est talis ; nec verba privilegiorum hoc indicant ; nec expedit ita concedi , ut notat Suar. loc. citat . Forte sola absolutio a censura potest operari suum effectum , antequam ad notitiam absolvantis , facultas absolvendi perveniat ; quia ad ejus validitatem non requiritur acceptatio , cum possit dari etiam invito . Notat hic Sanch. contra Perez , quod si licentia petatur a Parocho per Procuratorem , valida sit , si innotescat tantum Procuratori , & ab eo acceptetur .

Oppones , Quando per conjecturas
Pars VII.

constat hic , & nunc esse concessam licentiam , videtur , satis esse illa moralis præsumptio , & spes licentiae concessæ .

Respondeo tamen , hoc communiter a Doctoribus negari ; tum quia sæpe istæ conjecturæ fallunt ; tum etiam quia lex Tridentini de assistentia Parochi , & testium stat veluti in possessione obligationis ; ergo non potest sua possessione spoliari , donec consistat de privilegio , & de licentia concessa ; atque adeo non sufficit illa præsumptio , & spes licentiae obtenta .

Hinc est (ut communiter docent cum Sanch. , & Con.) quod Sacerdos non debeat credere contrahentibus , si dicant , se habere licentiam a Parocho , ut possint coram illo contrahere , donec certa signa afferant , aut nisi sint magnæ fidei Personæ graves , & probæ . Ratio est , tum quia requiritur ad hoc certitudo moralis ; tum etiam , quia universim in iis . quæ spectant ad externam gubernationem Ecclesiæ non debet credi testantibus in propria causa , ex cap. Sicut , de Sententia excommunicationis , ubi dicitur : Non esse credendum Excommunicato dicenti se esse absolutum .

XII. Dubium est tertio ; An valide assistat matrimonio , aut ad id det licentiam Parochus intrusus , seu qui errore tantum communi , sed sine titulo colorato estimatur Parochus ?

Respondeo , communiter Doctores docere cum Sanch. lib. 3. disp. 22. num. 49. , quod gesta cujuscumque habentis jurisdictionem , puta Parochi , Confessarii , Judicis , necnon cujuscumque habentis officium publicum , puta Tabellionis , &c. sint valida , si is habeat titulum , seu officium vere collatum a legitimo Superiore , quamvis invalidæ ob aliquod impedimentum occultum ; dummodo errore communni estimetur , titulum , seu officium ef-

N se

se illi valide collatum: Quod si communis error sine tali titulo colorato, seu putativo intercedat, gesta ejus sint invalida. Unde sequitur, quod si Parochus intrusus, seu qui errore communis existimat Parochus, sine tali titulo accepto a suo Superiore assistat matrimonio, aut det alteri licentiam assistendi, tale matrimonium esset invalidum.

Ratio autem, quare quando habetur titulus coloratus cum errore communis, gesta sint valida in utroque foro, est, quia in tali casu æquitas, & benignitas juris postulat, ut a Superiori suppleatur defectus ob bonum commune, & publicam utilitatem, conferendo ei quodammodo actuellem jurisdictionem ad singulos actus; dummodo tamen materia sit subjecta potestati humanae; Quod constat ex leg. *Barbarius Philippus ff. de Officio Praetoris*; ubi ob publicam utilitatem approbantur gesta Barbarii promoti a Populo Romano ad Praeturam invalidae ob impedimentum occultum servitutis: Et additur ibi ratio; quia scilicet Populus Romanus poterat etiam servo illam potestatem conferre: Et idem statuitur in jure Canonico cap. *Infamis 3. quest. 7.* Aliter magna perturbatio lequeretur in Republica. Additque Sanch., satis esse, quod probabiliter is habeat titulum coloratum, seu apparentem: Verbi gratia, satis est ad validitatem confessionis dari opinionem probabilem, quod Sacerdos habuerit facultatem absolvendi; vel dari opinionem probabilem ex auctoritate Doctorum, quod possit absolvere a reservatis. Ratio est, quia, cum licitum sit operari ex opinione probabili, si absolutiones datae a tali confessario essent irritæ propter impedimentum occultum, eadem sequentur incommoda in Republica.

Si vero solum adsit error communis, quod aliquis, verbi gratia, sit

Parochus, vel Confessarius, vel Jux, & non adsit titulus coloratus, seu non adsit opinio, ne probabilis quidem, quod tale munus a legitimo Superiori ille acceperit, communius a Doctoribus reputantur gesta hujus invalida; nec oppositam sententiam existimat probabilem Sanch. loc. cit. Ratio est, quia tam in leg. laud. *Barbarius*, quam in cap. *Infamis* expresse dicitur, ideo gesta valere, quia prater errorem communem intercessit titulus coloratus, seu auctoritas legitimi Superioris, qui conferre poterat jurisdictionem, quæ propter impedimentum occultum deficiebat.

His tamen non obstantibus, Dian. part. 3. tract. 4. resol. 122., & part. 8. tract. 1. resol. 94. docet cum Pont. Molfes., & Joan. Sanch. valere in utroque foro gesta Parochi, Judicis, Confessarii, Tabellionis, &c. etiamsi solus error communis sine titulo colorato intercedat; Unde docet, validum esse matrimonium, cui Parochus intrusus assistit, etiamsi a contrahentibus sciatur, non esse revera Parochum, illum, qui communiter ab aliis Parochus existimat. Ratio est, quia eadē inconvenientia sequentur in Republica, si acta istorum essent invalida, sive titulus coloratus annexatur errori communis, sive non annexatur: ergo eadem dispositio legis debet esse utrobique; atque adeo ex æquitate, & benignitate juris asserendum, utrobique suppleri defectum, qui a potestate humana suppleri potest.

XIII. Dubium est quarto; An testes, coram quibus celebratur matrimonium, debeant esse omni exceptione majores?

Respondeo cum communi negative; etenim Tridentinum nullas qualitates in testibus requirit; aliter poscent multa matrimonia revocari in dubium, præsertim in Pagis; ubi plerum-

rumque ignoratur, quinam sint testes omni exceptione maiores. Proinde possunt esse testes in casu nostro, etiam Fœminæ, Parentes, Infames, ex-communicati, Infideles, Inviti, ac Repugnantes; dummodo habeant usum rationis, & percipient quid agitur, ita ut possint illud postea testari. Suppleret enim defectum testimoniū auctoritas Parochi.

XIV. Rogabis hic; Si revalidandum sit matrimonium privatum sine Parocho, & testibus, propter impedimentum occultum, quod probari non possit per duos testes omni exceptione maiores, juxta dicta num. 7., quinam consensus requiritur? Et num debeat utriusconiugis cognitum esse impedimentum dirimens, & invaliditas matrimonii contracti, ut possit revalidari?

Respondeo, in tali casu curandum esse, ut uterque coniugis ponat consensum absolutum, cum non sufficiat conditionatum. Unde non sufficit, quod alter dicat; Si non nupsisset tecum, ita te diligo, ut tecum nubarem; sed uterque dicere debet: Volo tecum nubere, etiam si haec tenus non nupsisset, aut forte invalide nupsisset, ut notat Sanch. lib. 2. disp. 35. Quando autem periculum est, quod coniugis ignarus impedimenti, ac nullitatis matrimonii nollet illud convallidare, ex quo scandalum oriaretur, præsertim si adesset proles, non est necesse, ut illi impedimentum, & nullitatis matrimonii detegatur. Neque obstat, quod consensus, qui de novo poneretur, procederet ex errore, & ignorantia illius nullitatis, & quod nollet ille contrahere iterum, si notitiam haberet talis nullitatis. Nam hic error non efficit circa substantiam Matrimonii, seu circa personam, sed circa qualitates, cum sit solum error juris, quatenus ille putat, se matrimonio ligatum, cum non

sit; Consensus autem procedens ex errore circa qualitates sufficit ad valorem matrimonii. Sic qui contrahit cum Berta, quam credit ditissimam, cum sit pauperrima, valide contrahit, quamvis non contraxisset, si nota fuisset talis paupertas.

Quando tamen, nec infamia, nec scandalum, aut quid simile sequeretur, si detegeretur utriusconiugis nullitas præteriti matrimonii, utique detegenda esset, ut docent communis apud eundem Sanch. lib. 2. disp. 36.

ARTICULUS V.

De Consensu clandestino secundum quid.

- I. Peccat graviter, qui sine Episcopi dispensatione, omissis denunciacionibus contrahit matrimonium. Sed hoc non est invalidum.
- II. Quas ob causas omitti possunt denunciations?
- III. Impedimentum occultum revelandum est, quamvis probari non possit.
- IV. Contrahentes, qui aliquo impedimento occulto laborant, vel tenentur desistere a matrimonio, vel illud, etiam cum propria infamia, revelare, si alter desistere nolit.
- V. Si habens impedimentum occultum sine magno scando desistere non possit, quid faciat?
- VI. Omittere benedictionem nuptialem ante cosummationem matrimonii, num sit mortale; aut saltem veniale?

I. **N**otavimus articulo super. dici consensum secundum quid clandestinum, quando habetur contractus matrimonialis absque præviis proclamationibus.

Quæritur nunc primo; An sit in-

N. 2 va-

validum matrimonium, si denunciations omittantur, seu si sit clandestinum secundum quid?

Respondeo negative; Ex Tridentino enim solus defectus Parochi, & testium reddunt matrimonium invalidum; Quare dum Concilium jubet, ut Parochus assistat matrimonio, præmissis proclamationibus, præcipit ea, quæ ad licite, non ad valide agendum requiruntur; Sicuti quando præcipitur, ut excommunicatione feratur in scriptis, & præmissa tria monitione: Hæc enim spectant ad accidentalem, non ad substantialem formam actus.

Oppones Regulam 64. juris in 6., ubi habetur, quod quæ contra jus fiunt, debeant utique pro infectis haberi; atqui matrimonium, non præmissis proclamationibus, est contra jus: ergo habendum pro infecto, & irrito.

Respondeo, regulam illam intelligi, ut factum contra legem habeatur pro non facto, quando lex statuit formam substantialem actus, non vero quando formam accidentariam; & quando solum præscribit modum, ut recte fiat. Adde, esse speciale in favorem matrimonii, quod ex simplici prohibitione, absque clausula irritante, illud non irritetur, ex decisione Rotæ apud Perez disp. 43. sect. 2.

Hinc sequitur, denunciations intraque contrahentis Parochia omitti non posse sine peccato mortali; cum res ista sit gravis, ut communiter docent contra Sot., qui putat per se loquendo esse tantum veniale. Potest tamen in hac lege aliquando, ut supra diximus, dispensare Ordinarius, videlicet Episcopus, immo etiam Vicarius Generalis: Quamvis enim verum sit, quod refert Rebell., Papam dixisse, quoad hoc nomine Ordinarii intelligi Episcopum, non idcirco excludendus est Vicarius Generalis; quia pro ea-

dem persona cum Episcopo habetur, & unum cum illo tribunal confatur; Sicuti nec excluditur ille, qui, quamvis non sit Episcopus, jurisdictionem tamen habet Episcopalem annexam suæ dignitati.

Neque dicas: Episcopus potest negare Vicario potestatem dispensandi in proclamationibus, ut fatetur Sanch. lib. 3. disp. 7. ergo non est concessa Vicario Generali talis potestas a Trident., cum inferior nihil possit contra legem Superioris; scuti neque potest Episcopus tollere a Parrocho potestatem assistendi matrimonio, aut dandi alteri Sacerdoti licentiam assistendi; cum hanc potestatem habeat Parochus a Trident.

Nam respondeo, quod sicut potest Episcopus totum officium Vicarii, non vero Parochi revocare, ita potest partem hanc officii Vicarii revocare, unde potest sibi uni potestatem hanc reservare.

II. Rogabis: Quænam sint causæ, ob quas possit Episcopus in proclamationibus dispensare?

Respondeo cum communi apud Con., & Perez, eas esse; Primo si alias timeatur matrimonium malitie impediendum; Secundo si ex proclamationibus oriatur scandalum; Verbi gratia, si sponsi vivant in concubitu, & jam publice putantur esse conjuges; Tertio, quando vir est in articulo mortis, & vult ducre suam concubinam, vel ad legitimandam prolem, vel ad salutem animæ sua; Quarto, quando ninio pudore suffuderentur Sponsi ex denunciationibus; ut si ambo sint senes, vel si sexagenaria, aut nobilis ignobilem, vel dives pauperem ducat; Talis enim verecundia, quæ ex publicatione matrimonii oriretur, videtur sufficiens causa, ut dispensetur in denunciationibus, ut docet Sanch. lib. 3. disp. 9. cum aliis; Quinto si instet tempus Qua-

Quadragesimæ, aut Adventus, unde non possint omnes denunciationses præmitti; Sexto, si Magnates velint repente, & occulte contrahere; certat enim in hoc casu finis denunciationum; cum enim Magnates sint valde noti, facile sciretur impedimentum, si quod esset. Ex quo infert Perez, quod universim possit in denunciationibus dispensari, quando ab est timor alicujus impedimenti, ob quamcunq[ue] notabilem commoditatem contrahentium sive spiritualem, sive temporalem.

Si tamen Episcopus, existente iusta, & urgente causa, nolit dispensare, sicut tenetur, poterunt tunc conjuges contrahere, non præmissis denunciationibus. Ratio est, quia præceptum Ecclesiasticum præmittendi denunciationses non obligat cum gravi incommodo, quale esset, si duo illi Sponsi deberent semper remanere ccelibes, aut si deberent exponere se periculo fornicationis: Immo possent etiam contrahere, non præmissis denunciationibus, quando consuli non potest Ordinaris, & probabiliter judicatur, quod propter necessitatem urgentem non sit obligatio illas præmittendi. Ratio est, quia gravissimum onus imponeretur hominibus, si nunquam liceret uti Epicheja ex judicio probabili, quando non patet aditus ad Superiorem.

Notandum tamen, quod quando ex legitima causa non præmittuntur proclamationes, debent postea fieri ante consummationem matrimonii ex Trident. (nisi tamen aperte constet, nullum esse impedimenti periculum,) ne contingat, copulam esse fornicatiæ.

Circa tempus, & locum proclamatio-
num, Concilium vult facendas a Parocho tribus diebus continuis festivis in Ecclesia inter Misericordiarum solemnia. Verum Bonac. attendens ad finem

Concilii putat, posse fieri extra Ecclesiam, ubi magna multitudo conve-
nit, etiamsi die non festivo, vel in-
ter concionandum ab ipso conciona-
tore de licentia Parochi.

III. Quaritur secundo; An sit ob-
ligatio revelandi impedimenta matri-
monii occulta, quæ probari non pos-
sunt?

Respondeo cum communi contra
Pont. lib. 5. cap. 34. affirmative; dum-
modo absque gravi incommodo, &
absque aliorum scandalo revelari pos-
sint; præmissa tamen correctione fra-
terna, si ex ea fructus speretur. Ra-
tio est, quia in hoc casu non agitur
de peccato probando, aut de pena
infingenda, sed de peccato vitando
(quod scilicet sequeretur, si invalide
cum impedimento dirimente Sponsi
contraherent) Unde ad peccatum
hoc vitandum, satis est testimonium
unius, vel sola fama de impedimen-
to Ex cap. super eo, *De testibus*, ut
diximus quæst. 2. art. 7. de Sponsali-
bus: ergo quilibet tenetur manifesta-
re impedimentum, etiamsi ex delicto
occulto ortum, etiamsi illud sub se-
creto acceperit (dummodo acceperit
a personis fide dignis,) & etiam-
si juraverit, se non manifestaturum:
Juramentum enim non est vinculum
iniquitatis; unde non potest obligare
ad non obediendum præcepto Supe-
rioris, quod est directum ad vitan-
dum peccatum proximi: Neque ob-
ligat secretum, ut docet Perez disp.
43. se&t. 6., Con. num. 16., & alii a-
pud Mendo in Epitome V. *Secretum*;
Et ratio est, quia prævalet secreto
reverentia Sacramento debita, & bo-
num salutis contrahentium: Neque
demum obligat fama, quia si præmis-
sa correctione fraterna, nolunt Spon-
si a matrimonio desistere, nibi impu-
tent, quod in iis angustiis verentur,
ut debeant infamari. Probabile tamen
est, ut docet Perez loc. cit., quod si

con-

contrahentes sint in bona fide, & impedimentum est occultum, ita ut probari nunquam possit, non sit obligatio illud manifestandi, si id commode fieri non possit; tum quia in tali casu nullum daretur peccatum, quod deberet vitari, nisi tantum materiale; tum etiam, quia, si impedimentum esset affinitatis, non potest probari unico teste *ex cap. Liceat De Testibus.*

IV. Adde, ex vi denunciationis teneri ipsos contrahentes, vel desistere a nuptiis, vel fateri impedimentum quantumcumque occultum, & cum propria infamia conjunctum, ut notat Con., & Perez ex Sanc. lib. 3. disp. 14. Ratio est, quia quinvis nemo, etiam si interrogatus sub juramento, teneatur fateri crimen suum, quando proceditur ad punitionem, nisi praecedat semiplena probatio; Cum ne-
mo possit esse primus testis contra-
scipsum; Nihilominus, quando Judex pro-
cedit, non ad punitionem, sed ad cognitionem impedimenti ad matrimonium, vel ad Ordines suscipiendos, quia solum procedit ad vitandum peccatum, debent ipsi etiam Rei, etiam cum propria infamia, illud manifestare, nisi velint infamiam vitare, cef-
fando a matrimonio, vel a suscep-
tione Ordinis. Cum hoc tamen simul verum est, ut docet Pont. apud Perez, quod si Sacerdos aliquis, verbi gratia ex diversis feminis suscepit masculum, & feminam, qui bona fide velint contrahere matrimonium, non teneatur cum propria infamia manifestare impedimentum consanguinitatis; quia cum contrahant bona fide, ex occultatione impedimenti nullum sequeretur peccatum, nisi materiale: Secus accidit, si contrahant mala fide, & præmissa corre-
ctione nolint a nuptiis desistere.

Dices. Si duo sponsi petant publice suscipere Sacramentum matrimoniū i, non possunt publice repelli a Pa-

rocho, qui privatim scit, illos in mortali contracturos: ergo neque possunt repelli ob impedimentum occultum; atque adeo impedimentum occultum non est manifestandum. Antecedens patet; Nam Christus Dominus dedit Eucharistiam Jude, quem sciebat indigne illam suscipere, & malum projicere Margaritam ante porcum, quam illius famam denigrare; ergo universim non debet detegi crimen occultum ad vitandam susceptionem indignam Sacramenti.

Respondeo, concessu antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia in primo casu agitur de vitando uno tantum peccato indigna susceptionis Sacramenti: in secundo ca-
su agitur de vitandis innumeris peccatis fornicationis, quæ sequerentur, si cum illo impedimento occulto dirimente contraheretur matrimonium. Adde, desudare Doctores apud Con-
qæst. 8o. de Sacram. art. 6. in iudicando veritate antecedentis; Com-
muniter tamen docent, id verum esse, quia ea lege instituit Christus Domi-
nus Sacra-
menta, ut non debeant ab iis repelli peccatores occulti; tum quia aliter sequeretur magna pertur-
batio, & multi iniuste diffamarent ob imprudentiam, & scrupulum Mi-
nistrorum; tum etiam, quia si mani-
festentur peccatores occulti, ne indigne suscipiant Sacramentum, vita-
tur quidem indigna suscep-
tio Sacra-
menti, seu peccatum externum, sed non vitatur peccatum internum eorum, qui etiam statuerunt in corde suo, Sacramentum in mortali suscep-
tione: At in secundo casu vitantur immensa peccata fornicationis, & per-
verantia contrahentium in statu pec-
cati mortalis; unde nihil mirum, si famæ etiam propriae prævalere debeat bonum hoc spirituale proximi.

Ubi etiam notandum, quod si quis velit, exempli gratia, Eucharistiam sic

inscipere, ut ea in maleficiis abutatur, non debeat illi ministrari, si occulte tantum, sed non ex confessione Sacramentali peccatum hoc a ministro cognoscatur; quia in tali casu famæ proximi prævalere debet externa reverentia Christo debita; Unde non debeat Sacerdos tali peccato cooperari ministrando illi Eucharistiam, ne occultum hunc peccatorem infamet, juxta doctrinam communem Doctorum.

V. Quæritur tertio; Quid faciendum, si contrahentes agnoscentes impedimentum, non possint sine magno scandalo a matrimonio desistere?

Respondeo ex Pont., & aliis apud Perez, posse Sponsos matrimonium contrahere sub conditione, si Papa dispenset; Probabile enim est, matrimonium sub conditione contractum non esse deinde repetendum, purificata conditione; & interim possunt in eadem domo habitare; Et quamvis exponant se periculo fornicationis, excusantur tamen ex occurrentia ingentis scandali; unde possunt, & debent alia via periculo fornicationis occurtere, videlicet orationibus, & penitentiis.

Verum præstat, quod vir faciat votum castitatis ad tempus, videlicet donec veniat dispensatio ab illo impedimento, & deinde publicet se habere votum castitatis: (præscindendo, an illud fuerit ad tempus, an vero perpetuum, ne petatur ab Episcopo dispensatio) unde debeat a Pontifice dispensationem expectare, & interim velle tantum, sicut potest, contrahere sub conditione, quod Papa dispenset; sic enim nec teneretur, nec posset cohabitare.

VI. Quæritur ultimo; Sitne mortale omittere benedictionem nuptialem ante consummationem matrimonii?

Respondeo cum communi contra nonnullos apud Sanch. lib. 7. disp. 82., & lib. 3. disp. 12., neque esse peccatum mortale consummare matrimonium ante talen benedictionem, neque esse peccatum mortale illam simpliciter omittere, nisi ex contemptu, aut scandalo omittatur. Ratio est, quia non videtur esse res gravis, nec valde congruens progressui matrimonii; Etenim benedictio nuptialis non est Sacramentum, sed quoddam sacramentale, nec tanti momenti, quanti Sacramentalia, quæ Baptismo præmittuntur. Quamvis autem non vacet culpa veniali, illam simpliciter omittere sine ulla causa contra usum, & consuetudinem Ecclesie; nihilominus probabile est, nullam esse culpam ex justa causa, videlicet ratione temporis feriati in Adventu, aut Quadragesima, consummare matrimonium ante benedictionem Ecclesie; Cum videatur, esse consilium, non præceptum, illam præmittere: Dicit enim Trident. sess. 24. *Hortatur Sancta Synodus, ut conjuges, ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiantur, in eadem domo non coabitent;* quod verbum *Hortatur*, videtur significare consilium, ut notat Sanch. Notandum præterea, secundas nuptias non esse iterum benedicendas, quia solemnies Ecclesie benedictiones non debent bis iisdem rebus conferri ex cap. Vir 3. *De secundis nuptiis*, etiam si alter tantum conjugum secundo nubat; Quamvis multis in locis ex consuetudine soleant benedici secundæ nuptiæ, quando alter primo nubit, & alter est viduus, ut Sanch. lib. 7. disp. 82.

ARTICULUS VI.

De Consensu conditionato.

I. In quo differant conditio, demonstratio,

- tio, causa, dies, & modus, que contractui matrimoniali sepe adjunguntur? Et quo in plex soleat esse conditio?
- II. Nec demonstratio, nec causa adjecta contractui suspendunt, aut vitiant contractum, sed solus error, aut circa ejus substantiam, aut circa qualitates substantiales.
- III. Modus adjectus contractui, probabilitus illum non vitiat; quamvis sit rei impossibilis, aut turpis. Dies vero, non secus, ac conditio illum suspendit; non tamen conditio necessaria.
- IV. Contractus sub conditione contingenti, illa purificata, non requirit novum consensum.
- V. Non vittat matrimonialem contractum conditio impossibilis, aut turpis. (nisi sit contra tria illa bona, Prolis, Fidei, & Sacramenti) Alios vero contractus vitiat.
- VI. Conditio ista, Si Papa dispenseat, dicitur impossibilis solum in casu, quo nunquam Papa dispensare soleat. Et conditio, si alter voebeat castitatem, aut Religionem ingrediatur, non dicitur esse contra substantiam matrimonii.
- VII. Ista conditio, Si Pater consenserit, quomodo intelligenda?
- VIII. Conditio indifferens, ac impertinens, contractum suspendit.
- IX. Conditiones turpes contra substantiam matrimonii irritant etiam contractum Sponsalium.
- X. Extenditur etiam ad contractum Sponsalium lex, quod conditiones aliae turpes, & impossibilis habeantur pro non adiectis; non tamen lex irritans matrimonium clandestinum.

I. Quæritur primo; In quo differat Conditio a Demonstratione, Causa, Die, & Modo adiectis contractui, sive matrimoniali, si-

ve sponsalito?

Respondeo, in hoc differre, quod contractus dicatur fieri cum Demonstratione, quando denotatur, seu demonstratur aliqua qualitas persona, cum qua contrahitur; ut si dicatur: Duco te, quæ es virgo. Fit vero contractus cum Causa, quando explicatur motivum, propter quod fit; ut si dicatur: Duco te, quia es virgo. Fit cum Die, quando denotatur tempus, quo incipit obligare contractus; ut si dicatur: Accipio te in meam post tres dies. Fit sub Modo, quando contractui adiicitur aliquod onus; verbi gratia, Duco te, ut mihi servias. Demum fit contractus sub Conditione, quando apponitur aliqua conditio ad suspendendum contractum; ut Duco te, si Papa dispensem.

Porro conditions, aliae sunt honestæ, aliae turpes, aliae necessariæ, aliae contingentes, aliae impossibilis, aliae impertinentes, aliae de præterito, aliae de præsenti, aliae de futuro. Demum conditions turpes; aliae sunt contra substantiam matrimonii, que scilicet repugnant tribus bonis matrimonii, id est prolixi, fidei, seu fidelitatis, & Sacramenti, seu indissolubilitatis, ut si dicatur: Duco te, si venenum sterilitatis sumperis; Vel si promiseris copiam tui corporis alteri; Vel duco te usque ad obitum tui patris. Aliæ vero conditions turpes non sunt contra substantiam matrimonii, ut duco te, si Petrum occideris.

II. Quæritur secundo; Quanam conditiones, aut demonstratio, causa, dies, vel modus adiecta contractui suspendunt, aut vitiant illum?

Respondeo, & dico primo, nec demonstratio, nec causa adiecta contractui suspendunt, aut vitiant illum, etiamsi sint falsa; Quare si dicatur: Duco te, quæ es virgo, aut quia es virgo, validus est contractus, etiam si non

non sit virgo. Ratio est, quia ea verba non determinant objectum contractus, nec designant, consensum in illum ferri sub conditione, sed tantum exprimunt opinionem contrahentis circa tale objectum, & causam contrahendi. Quamvis autem verum sit, quod ille non contraheret, si ea non esset virgo, non per hoc non datur consensus absolutus constitutivus contractus: Etenim solus error, qui sit circa substantiam, seu circa personam, aut circa conditionem personae spectantem ad substantiam contractus, est ille, qui impedit consensum absolutum: Unde si dicatur: Doco te, quia es Berta, vel quia libera, vel quia primogenita, matrimonium non est validum, si illa non esset Berta, aut non libera, aut non primogenita, ut notat Perez disp. 16. seet. 5., quia in his casibus error est, aut circa substantiam contractus, aut circa conditiones substantiales, ut dicimus quæst. sequ., art. 2. quæsit. 2.

III. Dico secundo; neque Modus adjectus contractui vitiat, aut suspendit illum, quando modus est rei possibilis, & honestæ, seu quando contractui adjicitur onus aliquod possibile, & honestum; ut si dicatur: Doco te, ut mihi inservias: Si tamen Modus sit rei impossibilis, aut turpis, probabilius etiam existimo cum Hurt., & Perez contra Sanch. lib. 5. disput. 19., quod neque vitiet, seu annulet contractum; ut si dicatur: Doco te, ut mihi des montem aureum, vel ut fureris, vel ut obligeris ad adulterandum. Ratio est, quia consensus in contractum non habetur dependenter a modo, cum modus non sit conditio; ergo contractus cum tali modo non vitiat, sed est validus, & subsistit.

Dico tertio cum Con., Hurt., Perez contra Sanch. loc. cit., Dies, seu tempus appositum contractui suspensus.

Pars VII.

dit contractum, non secus ac conditio; unde si dicatur: Accipio te in meam post tres dies, matrimonium non est ratum nunc, sed post tres dies; Sicuti cum dicitur: Contraho, si cras pluet, vel si Papa dispensaverit, matrimonium non est ratum, nisi post pluviam crastinam, vel post dispensationem Pontificiam. Ratio est, quia in utroque casu contrahens non intendit ponere contractum perfectum, nisi post tertium illum diem; sicuti etiam non nisi post conditionem purificatam. Neque dicas, disparitatem esse inter tempus, & hanc conditio nem, quod conditio ista sit contingens, & tempus illud sit necessario futurum. Nam ex hoc tantum sequitur, quod contractus sub conditione contingenti, contingenter fit futurus perfectus, purificata conditione: Contra vero contractus, cui apponitur dies, necessario post illum diem fit futurus perfectus; non autem sequitur, quod contractus sub conditione contingenti sit futurus perfectus post conditionem, & contractus sub die sit statim perfectus ante lapsum illius diei cum obligatione ligata, seu impedita; ut tenet sententia opposita.

Dico quarto; Conditio, si sit contingens, suspendit contractum; secus vero si sit necessaria: Verbi gratia, si dicatur: Contraho tecum, si cras pluet, matrimonium non est ratum, nisi post pluviam crastinam: Contra vero si dicatur: Contraho tecum, si cras sol orietur, matrimonium est ratum nunc ante eventum conditionis, tam in foro externo, quam in interno; nisi expresse velint contrahentes suspendi consensum usque ad purificationem conditionis. Ratio est, quia conditio necessaria habetur pro impleta, & ideo ante eventum conditionis necessaria possunt consummare matrimonium; non tamen ante eventum conditionis contingentis: Sicuti

O ne-

neque ante lapsus temporis præfixi, quando contractui apponitur dies.

IV. Dubium est primo; An contractus sub conditione contingentie celebratus, purificata conditione, sit validus independenter a novo consensu?

Aliqui negant apud Con. Sed communiter affirmant, quia sicuti ceteri alii contractus conditionales non requirunt novum consensum post eventum conditionis, ita nec contractus matrimonialis; quamvis ut contractus sit absolutus, & perfectus, requiratur purificatio conditionis. Hinc sequitur, quod ante conditionis eventum possit talis contractus mutuo consensu revocari; ita ut uterque possit cum alio nubere, neuter tamen possit ante conditionis eventum, altero invito, resilire; cum ea sit natura contractus conditionalis, ut obliget ad expectandum eventum conditionis.

Dubium est secundo; Utrum dictus contractus sit validus statim posita conditione; an vero quando habetur notitia conditionis purificata?

Respondeo cum Sanch. lib. 5. disp. 7., & Hurt. contra Con., & Perez esse perfectum statim posita conditione, & tunc gratiam propriam hujus Sacramenti conferri: Ad eum modum, quo contractus per Procuratorem celebratus est validus statim posito consensu procuratoris, antequam ejus notitia ad principalem perveniat; Unde si quis ita contrahat: Duco te, si tuus Pater est mortuus, contractus est validus, si revera Pater mortuus est, & solum requiritur talis notitia certa, ut licite possint consummare matrimonium, ne se exponant periculo fornicationis. Quod si quis contrahat matrimonium sub conditione cum duabus, illud matrimonium est validum, cuius conditio primo adimpletur, non vero, quæ primò scitur; Si tamen utraque simul adimpleatur, neutrum est

validum propter incertitudinem, notant Bonac., Sanch., Con.

Hinc sequitur, quod non debeat esse notus Parocho, & testibus eventus conditionis, ut docet idem Sanch. contra Con., & alios communius apud Bonac. Ratio est, quia satis est, ut contractus fiat coram Parocho, & testibus, ut præcipit Tridentinum. Quare sicut non requiritur, ut quando matrimonium celebratur inter consanguineos, ostendatur Parocho, & testibus dispensatio obtenta; ita nec requiritur, ut impletio conditionis fiat coram illis. Et ratio radicalis est, quia finis Concilii (qui est, ut non possint ad secundas nuptias contrahentes transire) habetur in casu nostro sufficenter. Non negaverim tamen, hujusmodi matrimonia conditionata non esse facile permittenda, ut notat Con.; & adimpta conditione, consultus esse coram Parocho, & testibus novum consensum absolutum significare, ut notat Croix num. 762. vel iterum coram Parocho, & testibus matrimonium contrahere; aut saltem illos certiores reddere de conditione jam purificata, ut fert communior opinio, ut possint de ea testari.

V. Quæritur tertio; validum ne sit matrimonium celebratum sub conditione aliqua turpi; verbi gratia, si fureris, aut si mox haberis? Et quid si celebretur sub conditione aliqua impossibili, verbi gratia, si volaveris, vel si dederis myriadem aureorum pareri, quod huic contrahenti sit impossibile?

Respondeo, conditiones turpes esse duplicis generis; Aliæ sunt, quæ adversantur substantiæ matrimonii, tñ, ut supra notavimus, sunt contra tria illa bona essentialia matrimonii, ad quæ se debet contrahens obligare, videlicet contra bona prolis, fidei, & Sacramenti, seu indissolubilitatis; ut si quis dicat: Duco te, si sumas pharm.

macum sterilitatis; vel si obligeris ad adulterandum; vel donec inveniam aliam pulchriorem, aut diuitem: Aliæ vero conditiones turpes sunt, quæ non adversantur substantiæ matrimonii, seu tribus istis bonis essentiâlibus, ut Dux te, si fueris. His positis; Dico, Conditiones turpes, quæ adversantur substantiæ matrimonii, illud vitiare, ac reddere irritum. Ratio est, quia conditio contra substantiam contractus destruit contractum: Contra vero conditiones turpes, quæ non sunt contra substantiam matrimonii (puta, si fueris, si blasphemas); sicut etiam conditiones impossibilis (puta, si digo cœlum tangas) non vitiant, seu non irritant contractum, sed habentur in contractu matrimoniali istæ conditiones pro non appositis, tam in foro interno, quam in externo; dummodo adsit consensus absolutus, seu dummodo contrahens non velit expresse suspendere contractum, non purificata conditione. Ita habetur in cap. finali de conditionibus appositis.

Hoc tamen non est verum in aliis contractibus, in quibus per conditiones impossibilis explicari solet dissentus potius, quam consensus; & idcirco contractus, quibus conditiones impossibilis apponuntur, sunt invalidi: Sicut etiam si iis apponantur conditiones turpes, quæ ad peccatum alliciant. Quare solum in favorem matrimonii statuit Gregor. IX. in cap. laud., quod conditiones impossibilis, & turpes, quæ non adversantur substantiæ matrimonii, si adiificantur contractui matrimoniali, haec sunt pro non adjectis, nec irritent illum: Præsumit enim Ecclesia tunc haberi absolutum consensum; Quia tamen veritas cedit præsumptioni, si contrahens vere nollet contrahere, non purificata conditione impossibili, vel turpi, procul dubio pariter contractus matrimonialis esset invalidus, etiam in foro ex-

tero, si in tali foro constaret de consensu taliter conditionato.

Hinc sequitur primo, quod si quis dubitet, num conditiones turpes, quæ non sint contra substantiam matrimonii, joco apposuerit, an animo suspenderi consensum, præsumendum, quod solo joco adjeccerit; idque, tum in favorem matrimonii, nam ex cap. fin. de sententia, & re judicata in dubio semper pro ejus valore judicandum; tum etiam, quia nemo præsumit velle peccare; peccaret autem, qui conditionem turpem serio apponneret contractui matrimoniali, reddendo illum irritum.

Sequitur secundo, idem dicendum in dubio; An conditiones impossibilis joco, an serio apposita sint?

Sequitur tertio, quod si quis ita contrahat: Dux te, si generationem prolis evites, vel si pro quæstu ad adulterandum te tradas, vel donec inveniam aliam gratiorem, matrimonium sit nullum; quia conditiones istæ turpes adiectæ contractui sunt adversus substantiam matrimonii, hoc est, contra tria illa bona matrimonii essentia, prolixi, fidei, & Sacramenti: Seclusus vero si quis ita contrahat: Dux te, si pejeres, vel si des mihi montem aureum, matrimonium est validum; quia conditiones istæ ex speciali lege Gregor. IX. habentur pronon adjectis, dummodo nolit contrahens expresse in matrimonium confitire, non purificata conditione.

Sequitur quarto, quod alii contractus, puta, donationis, venditionis, &c, invalidi sint, si iis apponatur conditio impossibilis. Ratio est, quia talis conditio, vel cognoscitur esse impossibilis, & sic non habetur verus consensus; vel non cognoscitur esse impossibilis, & sic debet expectari ejus eventus, ut contractus absolute obliget; & quia eventus conditionis impossibilis nunquam erit,

O 2. ideo

ideo nunquam erit validus, & nunquam absolute obligabit talis contractus.

Sequitur ultimo, quod si in his aliis casibus apponatur conditio turpis (quæ dicitur jure impossibilis, eo quod servari nequeat jure inviolato) verbi gratia, Dono equum, si blasphemem, si hostem occidas, contractus sint pariter invalidi ante purificationem conditionis, ac debeant rescindi, eo quod aliter ad peccatum alicerent: Quamvis purificata conditione juxta communiorum opinionem Doctorum apud Lef. cap. 18. dub. 3. contra Nav. obligent; quia tunc non amplius ad peccatum aliciunt; Quare ne post patratum crimen obligent, & pro tunc sint validi, ideo antecedenter rescindendi sunt, pro quanto sunt invalidi.

VI. Rogabis primo; Num matrimonium celebratum sub conditione, si Papa dispensaverit, dicatur esse sub conditione possibili, an vero sub impossibili, ita ut habeatur pro non adjecta?

Respondeo cum distinctione; nam si in eo impedimento nunquam Papa dispensare soleat (ut est impedimentum affinitatis in primo gradu cum iis, qui non sunt Magnates) dicitur esse sub conditione impossibili; Si vero in eo soleat dispensare, dicitur esse sub conditione possibili, & honesta, & in tali casu matrimonium est validum, non pro tunc, quando contrahentes sunt inhabiles ad contrahendum, sed pro quanto obtenta est dispensatio; ita ut non requiratur deinde novus consensus, ut diximus.

Rogabis secundo; An matrimonium celebratum sub conditione, quod alter prius voveat castitatem, vel nunquam petat debitum, vel ingrediatur religionem, dicatur esse sub conditione, quæ sit contra substantiam matrimonii?

Respondeo negative; stat enim obligatio matrimonii, & jus remotum ad petendum debitum cum voto castitatis, & cum iis aliis obligationibus, ut ostendimus, cum de sponsalibus.

VII. Rogabis tertio; Qualis sit ista conditio apposita matrimonio, si Pater placuerit? & quomodo intelligenda?

Respondeo, certum esse, quod ista conditio non sit turpis, & quod ab ipsis contrahentibus apponi possit in contractu; ita ut matrimonium non sit validum, sed suspensum, donec conditio impletatur. Verum, quomodo beneplacitum hoc Patris intelligendum sit, variant Doctores.

Dico equidem primo, matrimonium sub ea conditione celebratum esse validum, tam si Pater consentias, quam si conscientius matrimonii non dissentiat: Ita communiter cum Sanch. lib. 1. disp. 7. Ratio est, quia juxta communem sensum per illam conditionem non significatur positivus consensus, sed solum non repugnans Patris: Etenim non solet intendi, quod Pater faveat positive, sed solum, quod non repugnet, nec agre ferat.

Dico secundo cum Con. disp. 29. dub. 2., Nav., Hurt. contra Sanch., & Pont.: Si Pater primo dissentiat, & mox consentiat; per consensum hunc posteriorem impletur conditio, & perficitur matrimonium. Probatur, quia juxta communem sensum, & intentionem contrahentium verba dictæ, conditionis non sumuntur in rigore, sed moral modo; ita scilicet, ut si intra tempus aliquod arbitrio prudentis, & attentis circumstantiis assignandum, obtineatur consensus Patris, matrimonium sit validum: ergo si intra istud tempus obtineatur consensus, quamvis post consensum, conditio est impleta. Confirmatur, quia si contrahatur matrimo-

monium sub conditione, quod Papa dispenset, & Papa prius denegat Procuratori dispensationem, & deinde remelius proposita, & per pensa, illam concedat, clarum videtur, quod contractus valeat; nisi aliud constet de intentione contrahentium: ergo etiam in casu nostro: Et ratio radicalis est, quia verba illa, si Patri placuerit, vel si Pater consentiat, solent hunc sensum facere, videlicet, si poteris obtinere consensum Patris; qui autem primo patitur repulsam a Patre, adhuc potest intra breve tempus consensum obtinere, si iterum roget; ergo si vere obtineat consensum, quamvis post disensem, contractus est validus.

Dico tertio consequenter cum iisdem Auctoribus: Si Pater primo consentiat, & deinde intra breve tempus repugnet, matrimonium non est validum. Ratio est eadem, quia scilicet juxta communem intentionem contrahentium extenditur consensus conditionatus usque ad aliquod tempus assignandum arbitrio prudentis viri; etenim sensus, & intentio contrahentium est, ut matrimonium valeat, si intra aliquod tempus Pater acquiescat, & non repugnet: Quare si intra illud tempus repugnet, quamvis post consensum, conditio non est impleta.

Dico ultimo: Quando apponitur dicta conditio in matrimonio, si forte contingat, quod Pater antequam consentiat, vel dissentiat, moriatur, matrimonium est validum. Ita Pal., & Sanch. contra Pont. Ratio est, quia in tali casu habetur, quod contrahentes intendunt, scilicet, quod Pater non repugnet. Confirmatur, quia vel cognoscebant mortem Patris contrahentes, quando contraxerunt, vel non; si cognoscebant, conditio illa, utpote impossibilis habetur pro non adjecta, ut diximus, & sic ma-

trimonium est validum; Si vero Patris mortem ignorabant, etiam validum est matrimonium, quia illi intendunt contrahere, modo id non ægre ferat Pater; quod bene per obitum Patris verificatur.

VIII. Quæritur quarto; An conditio indifferens, vel impertinens, verbi gratia, si saltes, si pluat, suspendat contractum matrimoniale, sicut conditio honesta?

Respondeo affirmative cum Sanch. lib. 5. disp. 18. Ratio est, quia omnis conditio jure non improbata potest apponi matrimonio, ut colligitur a contrario sensu ex cap. *Super eo De conditionibus apostolis*; atqui conditio indifferens, & impertinens matrimonio apposita nullo jure reprobatur; nam in cap. fin. *De conditionibus apostolis* solum rejiciuntur conditiones impossibles, & turpes, que ad peccatum incitauit, & non sunt contra substantiam matrimonii; ergo conditiones indifferentes, & impertinentes apponi possunt matrimonio, ita ut illud suspendant, non secus, ac conditiones honestæ. Concedo tamen non vacare aliqua culpa adjicare conditiones impertinentes contrarii tam Sancto matrimonii, quod est Sacramentum.

IX. Quæritur quinto; An conditiones turpes contra substantiam matrimonii, sicut irritant contractum matrimoniale, si illi adjiciantur, ita etiam irritant contractum Sponsalium?

Respondeo cum communī apud Perez disp. 12. sect. 2. affirmative; quia Sponsalia ordinantur ad Matrimonium: ergo sicut conditiones turpes, que sunt contra substantiam matrimonii irritant contractum matrimoniale, si illi adjiciantur, ita etiam irritant contractum Sponsalium, si adjiciantur Sponsalibus.

Confirmatur, quia Sponsalia nihil aliud sunt, quam promissio matrimonii;

nii; ergo sicut matrimonium nullum est, si celebretur sub tali conditione turpi, ita nulla est hujusmodi promissio. Quare invalidus est contractus, si dicatur: Promitto tibi matrimonium sub conditione, quod sterilitatem procures, vel ante, vel post illud; aut sub conditione, quod obligeris ad adulterandum, vel promitto matrimonium, quod daret per annum.

X. Quæritur ultimo; An conditiones turpes, quæ non sunt contra substantiam matrimonii, & conditiones impossibilis, si apponantur contractui sponsalium, habeantur pariter pro non adjectis, sicuti si apponantur contractui matrimoniali?

Respondeo, etiam cum Sanch. loc. cit. & aliis communiter contra Ledsm., & Perez affirmative; quia scilicet Sponsalia sunt initium quoddam matrimonii, & ideo quod disponitur a legibus circa matrimonium, censem.

tur dispositum circa sponsalia, ex *Oratio ff. de Sponsalibus.*

Neque dicas cum Perez, quod dispositio Tridentini irritans matrimonia clandestina non extendatur ad irritanda sponsalia clandestina; ergo neque in casu nostro valet arguere a contractu matrimoniali ad Sponsalium. Nam concessio antecedente, negatur consequentia. Diffinitas est, quia in primo casu talis dispositio Tridentini non est favorabilis matrimonio; ergo non est extendenda a contractu matrimoniali ad Sponsalium: Contra vero in casu nostro ista legum dispositio, quod conditiones impossibilis, & turpes habentur pro non adjectis, est favorabilis matrimonio; ergo extendenda est ad Sponsalia; cum semper in favorem matrimonii judicandum sit, ex cap. fin. *De sententia, & re judicata.*

Q U A E S T I O V.

De Impedimentis Matrimonii.

Certum est, jure naturæ dari quædam impedimenta dirimentia matrimonium; ut est error circa personam, Impotentia perpetua ad usum matrimonii, Defectus usus rationis, &c. Nunc tamen examinandum primo; An jure positivo, sive Ecclesiastico, sive seculari, statui possint alia impedimenta dirimentia? Deinde de impedimentis dirimentibus jure Ecclesiastico, hæc nus statutis agendum sigillatim. Demum de impedimentis impedientibus.

Impedimenta autem dirimentia dicuntur, quæ reddunt irritum matrimonium, hoc est, quæ impediunt, ne valide contrahatur; non tamen efficiunt contractus matrimonii validus, si ea superveniant, irritetur; pugnet indissolubilitati matrimonii. Hujusmodi impedimenta, præter impedimentum ætatis, duodecim juxta jus antiquum enumerabantur, quibus Tridentinum adjunxit duo alia, videlicet, Clandestinitatem, & Raptum, quæ omnia his verbis continentur.

Error, Condicio, Votum, Cognatio, Crimen.

Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibus:

Si Parochi, & duplicitis deſt preſentia teſtis,

Raptave ſit mulier, nec parci oddita tuae :

Hac facienda vetant connubia, facta revertant.

Impedimenta vero impedientia ſolum impedit, ne licite, non autem ne valide contrahatur matrimonium; ut ſunt Interdictum, ſeu prohibitio Eccleſia, quando ſcilicet de aliquo impedimento ulterius inquirendum īr: Vo- tum caſtitatis, Catechismus, Tempus feriatum, & aliqua criminis, de quibus dicemus art. ult. hujus quæſt. Hęc autem omnia ad ſubſidium memorie his aliis verbiſbus continentur.

Ecclesia veitum, neconon tempus feriarum,

Aque Catechismus, Votum, Sponsalia, Crimen,

Impedimenta fieri, permittunt facta teneri.

His adde Clandestinitatem in iis locis, in quibus non eſt receptum Tridentinum (ea enim impedit, licet non dirimat in iis locis matrimonium;) neconon omissionem proclamationum, & omissionem benedictionis, juxta di- ga art. 2. quæſt. ſuper. Sub eo tamen verbo, Crimen, varia Crimina, quæ comprehenduntur, & matrimonium impediunt, (ubi desuetudine non ſit ſublatum tale impedimentum) his aliis etiam verbiſbus continentur.

Inceſtus, Raptus ſponsata, Mors mulieris,

Suscepitus propria ſobolis, mors Presbyteralis,

Aut ſi paeniteat ſolemniter, aut Monialem

Accipiat, prohibent hęc conjugium ſociandum.

Antequam de impedimentis, tam dirimentibus, quam impedientibus ſi- gillatim agamus, pramittenda nonnulla ſunt de impedimentis in genere. Ideo ſit.

ARTICULUS I.

De Matrimonii impedimentis in ge- nere; Quinam poſſit ea sta- tuere?

I. Solus Pontifex statuere poſteſt impedimenta matrimonii dirimentia.

II. Non eſt verum, quod poſſit Episco- pus pro ſua Urbe, quicquid poſteſt Pontifex pro toto Orbe.

III. Quamvis Principes baptizati, ſe- cula ſa probatione Eccleſie, statue- re poſſint leges circa contraſtum matrimonialem fidelium; Hanc tamen poteſtatem ſibi Pontifex re- ſervavit.

IV. Univerſim eſt mortale contrahere matrimonium cum impedimento di- rimente; ſed probabilitate non eſt ſacrilegium.

V. Quomodo poſſit quis ſine ſacrilegio ſimulare etiam abſolutionem Sa- cramentalem?

VI. Validum eſt matrimonium, etiamfi per clauſulam generalem Pontifex irriuet quicquid fiat contra aliquam legem, in qua etiam matrimonium prohibeatur.

I. Quidam statuit primo; An jure po- ſitivo ſtatui poſſint impedimenta matrimonii dirimentia, ſive a Pontifice, ſive ab Episcopo, ſive a Principe ſeculari, ſive ex conſuetu- dine?

Respondeo, & dico primo, dari in Eccleſia, atque adeo in Pontifice, poteſtatem ſtatueri impedimenta ma- trimonii, tam dirimentia, quam im- pedientia. Constat, tum ex Triden- tino lēſs. 24. can. 4., tum auctorita- te Pontificum, a quibus varia hujus- modi

modi impedimenta constituta sunt; tum demum ratione, quia Ecclesia potest, & irritare, & prohibere contractus, quando non sunt sub certis conditionibus. & sub certa forma; ergo potest in contractu matrimoniali statuere impedimenta, tam dirimentia, quam impudentia. Ex quo patet, Ecclesiam non posse direcete apponere impedimenta Sacramento a Christo Domino instituto, sed solum indirecete, tollendo ejus fundamentum, seu efficiendo, ne sit contractus legitimus, seu materia Sacramenti id, quod esset ceteroqui talis: Sicut tollendo alicui jurisdictionem, impedit, quomodo minus verba illa: Ego te abservo, ab eo prolatæ, sint forma Sacramenti Pœnitentiae.

Dubium est; An impedimenta matrimonii constituta a Pontifice obligent etiam Infideles?

Respondeo, obligare solos Christianos, non vero Infideles: quippe qui non sunt subditi legibus Ecclesiasticis: Si tamen aliqui Infideles inhabitarent in locis subditis temporali jurisdictioni Pontificis, puta Romæ, in tali causa Pontifex, non tamquam Princeps Ecclesiasticus, sed tamquam temporalis, statuendo hæc impedimenta, etiam illos obligaret. Ratio est, quia etiam Princeps supremus infidelis potest statuere impedimenta dirimentia matrimonii subditis suis infidelibus, ut mox dicemus; Sicut possunt Principes sæculares ferre leges irritantes quoscumque contractus, si non celebrentur sub determinatis conditionibus; ergo potest hoc etiam Pontifex, tamquam Princeps supremus temporalis relate ad loca temporali suæ jurisdictioni direcete subjecta.

Dico secundo; Probabilius esse, hanc potestatem statuendi impedimenta matrimonii non competere Episcopis pro sua Diœcesi. Ita Con., Perez disp. 21. sect. 4. contra Sanch. disp.

7. sect. 1., Pont. Hart. disp. 12. difficult. probatur primo, quia Episcopi ratione proprii Officii non habent jurisdictionem ullam jure divino, ut patet in Episcopis titularibus, sed eam accipiunt jure Ecclesiastico a Pontifice, majorem, vel minorem pro ejus arbitrio; ergo jure divino non possunt ferre legem ullam; & consequenter nec statuere impedimenta matrimonii; atqui neque possunt id efficerre jure Ecclesiastico, quia nullum ulla jus afferri potest; ergo simpliciter non possunt statuere impedimenta matrimonii.

Probatur secundo, quia per impedimenta matrimonium irritatur directe, & per se, inquantum est contractus civilis, & solum indirecete, inquantum est Sacramentum; ergo ille tantum statuere potest impedimenta irritantia contractum matrimoniale, qui potest contractus civiles irritare; contractus autem civiles ille tantum irritare potest, qui habet jurisdictionem in res temporales: ut est Princeps secularis, & Pontifex; quippe qui circa res omnes temporales potestatem habet indirectam, ut de iis disponat, quatenus expedit bono spirituali fidelium; Quod ex eo constat, quia sicut in composito humano conflato ex anima, & corpore, corpus est subditum Spiritui, ita in Republica Christiana temporale subditur spirituali, & contra rationem omnino esset, si in iis, quæ ad civilem, & spiritualem gubernationem pertinent, ut est contractus matrimonialis, aut potestas temporalis, & politica non subordinaretur spirituali, aut neutra alteri subordinaretur: Contra vero Episcopos hanc potestatem indirectam in res temporales non habet a Deo sibi concessam, sicut habet Pontifex; non enim Episcopus potest circa res civiles quicquam statuere, invitis Principibus sæcularibus, quantumcumque hoc

hoc expedit saluti fidelium, nisi eorum saluti esset omnino necessarium; in quo solo casu tenentur omnes Magistratus civiles Episcopis obedire jure naturali divino; ergo cum statuere impedimenta matrimonii non sit omnino necessarium saluti fidelium, non possunt Episcopi ea statuere.

II. Neque dicas cum Sanch. lib. 1. disp. 61., Henr., Sot., & aliis: Quicquid potest Pontifex per totum Orbe, potest Episcopus pro sua Dicecesi, nisi expresse a Papa prohibeatur; Sicut enim Pontifex est Pastor ordinarius pro toto Orbe, ita Episcopus pro sua Dicecesi, licet illi subordinatus; ergo sicut potest Pontifex pro tota Ecclesia statuere impedimenta matrimonii, ita potest Episcopus pro sua Dicecesi, cum id a Pontifice nusquam prohibeatur.

Nam contra est, quia Suar. tom. 5. in 3. p. de Censuris disp. 7. ostendit, axioma hoc esse falsum, cum in nullo jure, aut ratione fundetur; & a posteriori constet oppositum; nam primo, Episcopus non potest pro sua Dicecesi instituere censuras, sicut potest Papa; & tamen hoc illi nullibi prohibetur. Secundo, non potest Episcopus statuere, ut matrimonium ratione alicujus delicti patrati a contrahentibus sit nullum, sicut potest Papa. Tertio, non potest Episcopus dispensare in gradibus prohibitis ad contrahendum matrimonium; quamvis hoc expresse Episcopo non prohibeatur. Quarto, ut notat Salas de legibus disp. 2. sect. 3., in multis irregularitatibus non possunt Episcopi dispensare, quamvis circa illas non inveniatur expressa prohibitio, sed solum non concessio. Quinto, nec potest Episcopus dispensare in matrimonio rato non consummato; nec in voto solemini; nec concedere indulgentias plenarias; nec committere Presbytero ministerium Sacramenti Confir-

Pars VII.

mationis, vel Ordinis, ut potest Pontifex, saltet quoad minores; nec alia, quæ enumerat Dian. part. 8. tract. 3. resol. 11. ex Suar. lib. 6. de legibus cap. 14. Demum ipse Sanch. lib. 1. disp. 16. notat, quod solus Pontifex possit dispensare in Sponsalibus, eo quod per sponsalia acquisitum sit jus a Tertio; Ex quo omnes Doctores docent, quod Episcopus non possit relaxare juramentum Tertio præstatum. Et ratio est, quia nemo, præter supremum Principem, potest auferre jus a Tertio acquisitum.

Verum quidem est, quod possit Episcopus absolvere, sicut Pontifex, quoties illi hoc non prohibetur. Ratio tamen est, quia hoc spectat ad salutem Animarum suæ curæ commissarum. Hinc tamen non sequitur, quod possit Episcopus statuere impedimenta matrimonii, sicut potest Pontifex. Non negatur, quod Episcopus sit Pastor Ordinarius pro sua Dicecesi, sicut Pontifex est Ordinarius Pastor pro toto Orbe; ex hoc autem solum sequitur, quod possit condere leges circa res spirituales saluti suorum subditorum expedientes; non vero, quod possit condere leges circa res civiles, quantumcumque conducent ad bonum spirituale, nisi quando sunt omnino necessariae saluti subditorum; quod non habetur in casu nostro; & consequenter non possunt Episcopi statuere impedimenta matrimonii.

Dico tertio; Principes infideles supermi possunt statuere impedimenta matrimonii, quibus obligentur omnes subditi temporales, tam fideles, quam infideles. Ratio ex D. Th. in 4. dist. 39. est, quia circa omnes contractus civiles possunt hujusmodi Principes ferre leges suas ad tranquillitatem, & bonum Reipublicæ; ergo sicut possunt, verbi gratia Prodigos, & Pupilos reddere inhabiles relate ad alios

P

con-

contractus; ita possent, verbi gratia, Parricidas reddere inhabiles ad contrahendum matrimonium; & consequenter possunt statuere impedimenta matrimonii.

III. Dico quarto; Principes baptizati non solum circa matrimonium Infidelium sibi subjectorum, sed etiam circa matrimonium fidelium, quod est Sacramentum, possunt statuere impedimenta, tam dirimentia, quam impedientia, seclusa prohibitione Ecclesiae. Ita Sanch. disp. 3., Perez sect. 5. contra Pont. Ratio est, quia matrimonium est contractus civilis, non minus quam alii; ergo eodem modo subjicitur potestati politicæ, ac reliqui contractus. Ex hoc autem, quod matrimonium fidelium sit etiam Sacramentum, non sit, vel quod vere non sit contractus civilis subjectus potestati sæculari, vel quod Princeps sæcularis aliquid possit directe in Sacramenta, sed indirecte tantum. Nec aliter potest ipsa Ecclesia, quæ non potest se ingerere directe ad materiam, vel formam Sacramentorum institutam a Christo Domino. Dixi tamen, posse id Principes baptizatos, seclusa prohibitione Ecclesiae; Nam de facto Pontifex reservavit sibi hanc potestatem statuendi leges circa matrimonium fidelium; quod constat, tum ex usu Ecclesiae; tum ex cap. Tuam, de Ordine cognitionis, ubi deciditur, causas matrimonii ad solius Ecclesiae forum pertinere.

Dico ultimo cum Sanch. lib. 7. disp. 4., Con. Perez contra Pont. Probabile est, per consuetudinem posse nova impedimenta matrimonii induci, & inducta auferri. Ratio est, quia consuetudo vim habet inducendi novam legem, & inductam abrogandi ex cap. fin. de Consuetudine. Et confirmatur, quia aliter sequerentur gravissima incommoda; quandoquidem in iis locis, ubi consuetudo est

in contrarium, inevitabiliter plurimi sine ulla sua culpa matrimonia irrita contraherent; quod repugnat intentioni Pontificis eas leges condendi.

IV. Quæritur secundo; Qualis culpa sit contrahere matrimonium cum aliquo impedimento?

Respondeo cum communi, esse peccatum mortale contrahere cum impedimento dirimente; quia violatur præceptum in re gravi: Est etiam peccatum mortale contrahere cum aliquo ex iis tribus tantum impedimentis impedientibus, quæ sunt Prohibitio Ecclesiae, Sponfalia, & Votum, ut patet: Alia vero impedimenta impedientia (scilicet Catechismus, & Crimen) non amplius obligant ob desuetudinem, ut dicemus art. ult. hujus quæst. Unde si quis cum iis contraheret, non peccaret. Ubi adverte, tempore feriarum prohiberi solum benedictionem nuptiarum, & solemnen sponsæ in domum sponsi traductionem, non vero matrimonium contrahere, aut consummare.

Dubium est; An sit Sacrilegium contrahere matrimonium cum impedimento dirimente?

Affirmat Con. disp. 30. dub. 2., quia contra reverentiam Sacramenti redideretur illud irritum. Sanch. tamen lib. 7. disp. 5., Perez, Hurt. negant; quia ad irritandum Sacramentum requiritur, ut ponatur id, cui ex institutione divina convenit ratio Sacramenti, & quod ponatur, aut sine requisitis essentialibus, aut cum obice ad fructum Sacramenti; Ut si quis vellet sibi conferri baptismum, & non haberet intentionem suscipiendi illum: aut si vellet Sacramentum cum mortali suscipere: At in casu nostro, cum non ponatur contractus validus, non ponitur id, cui ex institutione divina competit ratio Sacramenti; ergo non irritatur matrimonii Sacramentum, contrahendo cum impedimen-

mento dirimenter, & consequenter non committitur Sacrilegium.

V. Dices: Si quis fingeret consecrare papyraceam hostiam metu mortis coactus, aut si fingeret dare absolutionem Sacramentalem, non profendo formam absolvitoriam, sed dicendo, verbi gratia, Dominus te absolvat; committeret Sacrilegium, quamvis non ponet veram materiam, aut formam Sacramenti; ergo etiam in casu nostro; quamvis non sit materia, & forma Sacramenti consensus positus ab habentibus impedimentum dirimens, tamen committitur sacrilegium, si cum tali impedimento fingatur contractus matrimonialis.

Respondeo, distinguendum esse antecedens: Si ab incutiente metu id exigatur in contemptum Sacramenti, conceditur; si vero id non exigatur in contemptum Sacramenti, sed fingatur Sacerdos, verbi gratia, conferre absolutionem sacramentalem indisposito, ut alii existimant, quod suscepit Sacramentum Pœnitentia: Immo, ut multi putant apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 47. (quibus non subscribo) si fingatur dari hostia consecrata sine periculo idolatriæ materialis peccatori occulto; negatur antecedens, & consequentia. Certe si quis metum mortis incuteret ad contrahendum matrimonium cum impedimento dirimenter in contemptum Sacramenti matrimonii, procul dubio sacrilegium committeretur contrahendo cum tali impedimento: Quod si non exigatur matrimonium in contemptum Sacramenti, sacrilegium non committitur: Quamvis peccetur mortaliter, ut diximus quæst. 4. art. 1., si simuletur contractus matrimonialis cum impedimento jure naturæ dirimenter, ut est consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ; quia est peccatum mortale simulare id, quod est intrinsece grave malum, verbi gratia, simulare adora-

tionem idioli.

Replicabis: Est etiam intrinsece malum dare absolutionem Sacramentalē indisposito: ergo si quis metu mortis, aut alia de causa fingeret dare absolutionem Sacramentalē indisposito, semper peccaret mortaliter.

Respondeo si simularet dare absolutionem indisposito qua tali, concedo; si vero simularet dare absolutionem alicui, ut putetur bene dispositus, nego antecedens, & consequentiam.

VI. Quæritur ultimo; An si Papa prohibeat alicui matrimonium, eo ipso censeatur illud dirimere, ita ut non solum illicite, sed etiam invalide contrahatur?

Respondeo, Si Papa solum prohibeat matrimonium sine clausula irritante, certum est, quod talis prohibitio non sit impedimentum dirimens, sed solum impediens; secus vero si prohibeat cum clausula illud in specie irritante. Quod si prohibitio sit tantum cum clausula irritante generali, seu quæ solum generatim irritet quicquid fuerit contra prohibitionem factum, nulla facta speciali mentione matrimonii; Communiter Doctores apud Perez disp. 22. sect. 6. docent, quod matrimonium contra talem prohibitionem factum sit validum; quia cum matrimonium sit res adeo ardua, & gravissimum negotium sit illud irritare, exposcit clausulam irritantem, qua specialis mentio de illo fiat: Unde per clausulam illam generalem solum censetur irritari quicquid fuerit factum in præjudicium Tertiū, quin censeatur irritari etiam contractum matrimoniale, de quo non fit mentio.

ARTICULUS II.

De impedimentis dirimentibus in specie. Ac primo de Errore.

- I. Recensentur, & explicantur quatuordecim impedimenta dirimentia.
- II. Error potest esse multiplex.
- III. Error personæ jure naturæ irritat matrimonium, non vero alia Sacra menta, nec alios contractus.
- IV. Quomodo fuerit validum matrimonium inter Jacob, & Liam, putatum Rachael?
- V. Error circa Personam, quamvis sit comitans, adhuc matrimonium reddit nullum.
- VI. Si dat causam contractui error circa qualitates Personæ, matrimonium non est irritum; secus vero si qualitas apponatur per modum conditionis.
- VII. Hinc descendit resolutio celebri casus a Tabiena propositi.
- VIII. Reliqui contractus, in quibus error dat causam contractui, sunt irritandi; at non matrimonium, usque insolubile; nec Professio Religiosa.

I. Duximus in procœmio hujus Quæstionis, præter impedimentum etatis, quatuordecim impedimenta dirimentia enumerari. Primum est Error, videlicet Personæ; ut si pro Berta detur Teresia; quia talis error auferit consensum requisitum jure naturæ ad hunc contractum. Error autem conditionis liberæ irritat matrimonium jure Ecclesiastico juxta sententiam communem, videlicet quando alter contrahens putatus liber, est conditionis servilis, seu mancipium: At quando quis expresse non vult consentire, nisi in Personam tali conditione affectam, verbi gratia, quæ sit Virgo, Dives, Nobilis, &c.,

in hoc casu ipsa conditio transiret in conditionem Personæ, & error circa talem conditionem irritaret contractum, ut ostendimus cum de Sponsalibus quæst. 2. art. 8.

Secundum est, Condicio, scilicet servilis; Irritum enim est matrimonium contractum cum mancipio, ignorata ejus servitute, ut diximus.

Tertium est, Votum, videlicet castitatis sponte emissum, & solenne per susceptionem Ordinis facti, an per professionem solemnem; neenon votum simplex castitatis in Religione approbata, ut in Societate Jesu; de quo plura diximus cum de Sponsalibus quæst. 2. art. 4.

Quartum, Cognatio, sive legalis, sive spiritualis, sive carnalis.

Quintum, Crimen, videlicet homicidium conjugis, ut cum altero contrahatur, prout explicabimus art. 7. Similiter adulterium cum fide data de incendo matrimonio post mortem conjugis; Et Raptus mulieris.

Sextum, Disparitas culmis, seu religionis; hæc enim religionis disparitas irritat matrimonium baptizati cum non baptizato, & impedit matrimonium catholici cum hereticis.

Septimum, Vis, seu metus gravis iniuste inclusus ad matrimonium extorquendum; de quo satis superque quæst. super. egimus, cum de contentu coacto art. 2.

Octavo, Ordo, videlicet Sacerdotia major, ut diximus in tertio impedimento Voti.

Nonum, Ligamen, qui enim cum una conjugi est ligatus, invalide contrahit cum alia.

Decimum, Honestas, seu Justitia publicæ honestatis, ob quam nemo potest contrahere matrimonium cum consanguineis in primo gradu illius, cum qua contraxit sponsalia; & cum consanguineis usque ad quartum gradum

dum illius, cum qua contraxit matrimonium ratum, ut explicavimus quæst. 1. de Sponsal. art. 7.

Undecimum, *Affinitas*, seu propinquitas Personarum, quæ si nascatur ex copula licita, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive; si vero ex illicita, usque ad secundum gradum tantum.

Duodecimum, *Impotentia*, si sit perpetua, & matrimonium antecedat: In dubio autem, an sit perpetua, vel temporalis, datur a jure triennum ad experiendum. Impuberest tamen, si habeant usum rationis, jure tantum Ecclesiastico invalide contrahunt ante annos pubertatis.

Decimumtertium, *Clandestinitas*, de qua satis superque quæst. super. art. 3.

Decimumquartum, *Raptus*, ut diximus in impedimento quinto Criminis. Nunc de singulis seorsim agendum, incipiendo ab impedimento erroris.

II. Notandum tamen primo, Errorum in matrimonio posse esse, vel circa Personam, seu circa substantiam recti, ut si intendas contrahere cum Berta, & contrahas cum Teresia; vel circa qualitates, ut si intendens contrahere cum Berta divite, pulchra, Virgine, & contrahas cum illa paupere, deformi, corrupta.

Notandum secundo, errorem conditionis servilis non esse errorum circa substantiam, sed circa qualitatem; ut si contrahas cum Berta, putata libera, que tamen sit serva. Verum jure positivo iste solus error circa qualitatem reddit irritum matrimonium, seu est impedimentum dirimens, ut explicabimus art. sequenti; alii vero errores circa reliquias qualitates non reddunt matrimonium irritum, neque jure naturali, neque positivo; nisi quando transirent in errorem Personæ, ut mox explicabimus.

Notandum tertio, errorem aliquan-

do dare causam contractui, aliquando incidere in contractum, ut explicavimus cum de sponsal. quæst. 2. art. 8. Dat causam contractui error, quando est causa, cur aliquod velimus, quod, cognito errore, neutquam vellemus; ut proinde deprehenso errore, contractus non fieret. Incidit vero in contractum error, si cognitus tempore contractus hunc non impeditisset, quamvis diversimode contractus fuisset celebratus. His explicatis:

III. Quaritur primo; Quonam iure error Personæ irritet contractum matrimoniale?

Respondeo, certum esse apud Doctores, quod matrimonium irritet non solum jure Ecclesiastico, ex cap. Tuanos, de Sponsal. causa 26. sed etiam iure naturali. Ratio est, quia iure naturæ contractus est nullus, quando deficit consensus contrahentium; atqui quando habetur error circa Personam, cum sit circa substantiam contractus matrimonialis, deficit consensus; Nam leg. Si per errorem ff. de jurisdictione omnium judicium, habetur: Nihil est magis contrarium consensi, quam error; id est circa substantiam; Et leg. Cum Testamentum, dicitur, Errantis nullus est consensus: ergo matrimonium cum tali errore contractum jure naturæ est invalidum.

Oppones: Alii contractus, & alia Sacraenta non irritantur, si habetur error circa Personam; ergo neque matrimonium. Antecedens patet; nam si vendatur equus, aut si conferatur baptismus, vel absolutio Paulo, qui putatur esse Joannes, tam contractus venditionis, quam baptismus, vel absolutio sunt valida, quamvis cum errore circa Personam. Immo emptio, & venditio sunt valida, etiam si error sit circa materiam, ut si ematur cera Neapolitana pro Veneta, quando scilicet sunt ejusdem valoris, & utilitatis.

Con-

Confirmatur, quia conjugium Jacob cum Lia fuit validum; & tamen Jacob putavit Liam esse Rachelem, pro qua septem annis servivit; ergo error circa Personam non irritat matrimonium.

Respondeo, concessu antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia in contractu matrimonii error circa Personam est circa substantiam, & objectum principale contractus; securus vero in aliis contractibus, & Sacramentis: Nam, qui, verbi gratia, baptizat, ordinarie intendit tantum baptizare Personam praesentem, quemque illa sit; & qui vendit equum, intendit solum tradere equum danti pretium, quicumque ille sit; & qui emit ceram, intendit emere ceram, quae sit tanti valoris, & utilitatis, siue sit Neapolitana, siue Veneta; unde in his casibus error circa personam, aut circa materiam, non est circa objectum principale contractus: Contra vero, qui contrahit matrimonium, respicit per se, & primario personam tradentem suum corpus, utpote quae valde conductit ad substantiam contractus, & ideo ejus error dirimit matrimonium.

Ubi adverte, quod etiam in aliis contractibus error circa substantiam, seu circa objectum principale reddat illos invalidos; Nam si quis, verbi gratia, doner aliquid titulo consanguinitatis, vel paupertatis, donatio erit nulla; Si Donatarius vere non sit consanguineus, vel pauper; & ideo communiter Doctores docent cum Sanch. lib. 7. disp. 18., quod qui fingit paupertatem, non potest retinere sibi eleemosynam datam titulo paupertatis, sed restituere illam debet; nisi forte eleemosyna esset modica; quia tunc, qui dat eleemosynam, non solet illam conditionem implicite apponere, si est pauper: Nec tenetur ad restitutionem, qui vere pauper cum sit, fingit san-

titatem, aut vulnera, ut eleemosynam extorqueat; quia sanctitas, & vulnera illa apparentia sunt solum motivum impellens, non vero causa finalis eleemosynæ, quæ datur; etenim eleemosyna datur huic, quia pauper est, non vero si est sanctus, aut si est vulneratus; quamvis sanctitas, & vulnera putata impellant ad dandum. Quod si aliquando vulnera illa apparentia essent causa finalis alicujus magnæ eleemosynæ, certe ad restitutionem teneretur, qui vulnera fingeret.

IV. Ad confirmationem dico, Liam, & Jacob tunc valide contraxisse matrimonium, quando post concubitum, deprehenso errore, consenserunt in matrimonium: Non peccarunt tamen in concubitu præcedente matrimonium, quia cum errore invincibili affectu maritali se cognoverunt; Jacob enim putavit, illam esse Rachelem, quam expectaverat, Lia vero putavit, potuisse valide contrahere matrimonium ex lege primogenitorum; nam, ut ait Glossa in cauſa 29. quælit. I., consuetudo tunc erat, primogenitam primo nuptui dare.

Ex dictis sequitur, non posse Papam efficere, ut error Personæ non irritet matrimonium; cum nec possit Papa tollere jus naturæ, nec possit supplere defectum talis consensus; sicut potest in aliquibus aliis contractibus spectantibus ad bona externa; unde illos potest revalidare: Et disparitas est, quia potest aliquando Ecclesia, vel Papa disponere de quibufdam bonis nostris externis, nobis invitatis, non tamen de corporibus nostris in ordine ad usum matrimonii. Et ratio est, quia habet Papa dominium indirectum in bona externa, non vero in nostra corpora relate ad hunc finem. Solus Deus habet in nostra corpora dominium relate ad usum matrimonii; & ideo solus Deus posset supplere defectum consensus ma-

rimonialis, seu obligare Titium, & Bertam sine proprio consensu ad ea, ad quæ obligarentur, si matrimonium contraherent.

V. Quæritur secundo; An etiam error circa Personam incidens in contractum, seu comitans, irritet matrimonium? Si verbi gratia, Jacob contraheret cum Lia, quam putat esse Rachelem, sed ita esset affectus ad Liam, ut, si sciret, illam esse Liam, libenter cum ea contraheret. Et idem dubium est de errore conditionis servilis comitante; quando scilicet Liber contrahit cum Serva, ignorando ejus conditionem servilem, sed ita est dispositus ad contrahendum, ut etiam si sciret, eam esse servam, cum ea contraheret?

Respondeo cum communi apud Sanch. lib. 7. di^sp. 18. contra Comitol. lib. 1. quæst. 121., etiam tale matrimonium esse invalidum, quamvis Jacob diceret expressè Liæ, quam putat Rachelem, Ducerem libenter te, si scirem te esse Liam; dummodo non habeat intentionem contrahendi cum femina præsenti, quæcumque illa sit, sive Lia, sive Rachel, sive serva, sive libera. Ratio doctrinæ est, quia etiam cum tali errore comitante deficit in Jacob consensus absolutus ducenti Liam requisitus ad valorem matrimonii cum illa: ergo tale matrimonium cum Lia contractum est invalidum; Sicut enim, qui percutit Clericum, quem putat Laricum eo animo, ut libenter illum percuteret, si sciret esse Clericum, non incidit in excommunicationem, excusante ignorantia comitante, sicut nec incidit in excommunicationem, qui sine actuali percussione dicit: Percuterem Clericum, si adeslet; ita prorsus in casu nostro, nec contrahit matrimonium cum Lia, qui dicit: Contraherem cum Lia, si adeslet; nec contrahit, qui huic animo conditionato superadditum contra-

ctum cum Lia putata Rachele; Nam neque consensus ille conditionatus, neque consensus superadditus absolutus cum errore personæ, neque uterque simul sufficient ad matrimonium.

VI. Quæritur tertio; An sit validum matrimonium celebratum cum errore qualitatis dante causam ipsi contractui? Verbi gratia, si Titius contrahat cum Berta, quia putat, eam esse nobilem, divitem, pulchram, se-
cūs non contracturus.

Respondeo cum communi affirmative; nisi aut qualitas, in qua erratur, apponatur per modum conditionis in ipso contractu, aut error qualitatis transiret in errorem personæ, ut mox explicabimus. Ratio doctrinæ est, quia toties contractus est validus, quoties subsistit ejus substantia, circa quam versatur; atqui quando error est solum circa qualitates, subsistit substantia contractus; quia contractus matrimonialis primo, & per se fertur in personam, cum qua contrahitur. & qualitates personæ se habent tantum per modum rationis motivæ; ergo si error sit tantum circa qualitates, quamvis det causam contractui, adhuc matrimonium est validum; habetur enim in tali casu voluntarium simpliciter, & solum involuntarium secundum quid.

Quod si qualitas apponatur per modum conditionis, certum est, quod matrimonium sit invalidum. Nam quando Titius dicit Berta; Duco te, si vere es nobilis, jam deficiente nobilitate, deficit consensus absolutus essentialiter requisitus ad valorem matrimonii: Similiter si error qualitatis transeat in errorem Personæ, matrimonium est invalidum; quia deficit consensus circa substantiam matrimonii, eo quod error circa Personam impedit, ut diximus, consensum circa substantiam matrimonii: Verbi gratia, si Titio propositæ fuerunt nuptiæ cum

cum Primogenita Pauli, & deinde contrahat cum Secundogenita, quam putat Primogenitam, error qualitatis transit in errorem personæ, quia animo sibi proposuerat Titius ducere aliam personam, nempe primogenitam. Et universim, ut docent Sanch., Con., Perez disp. 20. sect. 4., error qualitatis transit in errorem personæ, quando intellectus contrahentis a qualitate aliqua personæ cognita determinatur, ut talem personam concipiatur, cum qua intendit contrahere, & tamen externum contractum celebrat hic, & nunc cum alia persona.

VII. Hinc deciditur celebris ille causus adductus a Tabiena V. *Impedimentum*. Titius petuit a Cajo secundogenitam valde pulchram, Cagus illam negavit, promisitque illi primogenitam, quæ erat deformis; Titius vero antequam cum primogenita deformi contraheret, voluit, ut cuidam Amico ea ostenderetur; Cagus autem pro primogenita deformi ostendit Amico illi secundogenitam pulchram; Unde Titius audita ab Amico ejus pulchritudine, contraxit cum primogenita, quam falso credebat pulchram: Respondent Tabiena, Con., Perez, Sanch. disp. 18., matrimonium hoc esse validum; quia error fuit solum circa qualitatem pulchritudinis, nec error qualitatis in hoc casu transibat in errorem personæ; nam consensus Titii non poterat dirigi in secundogenitam; quippe quæ ei denegata fuerat a Cajo.

Quod si fingamus, secundogenitam non fuisse denegatam, sed solum promissam fuisse a Cajo primogenitam; & deinde pro illa Cajum ostendisse Amico secundogenitam, in tali casu Tabiena dubitat, an matrimonialis contractus factus cum primogenita fuisset cum errore personæ, atque adeo dubitat, an matrimonium fuisset invalidum: Con. tamen, & Perez do-

cent, neque in tali casu haberi errorem personæ; atque adeo adhuc matrimonium cum primogenita fore validum. Ratio est, quia intentio Titii semper ferebatur in primogenitam sibi promissam, quam falso credebat Amico ostensam, & esse pulchram.

Si tamen Cagus plures filias habens nullam in particulari promisisset, sed unam ostendisset Amico, aliam deinde tradiceret in matrimonium Titio, docet Sanch., matrimonium esse invalidum; quia involvit errorem persona; etenim intentio Titii determinata fuit ad filiam ostensam suo Amico. Si demum Cagus promisisset Titio unam ex filiabus suis, quam ostenderet Amico, & deinde ostendisset Amico aliam foemina, non vero ullam ex filiabus suis, esset etiam invalidum matrimonium Titii, tam si contraheret cum illa foemina ostensa, quippe quæ non erat filia Cagi, quam si contraheret cum aliqua alia filia Cagi, quippe quæ non erat illa ostensa.

Oppones: Contractus stricti juris initi per dolum dantem illis causam sunt invalidi ex leg. Et ineleganter f. de dolo: ergo etiam matrimonium est irritum, si dolus, vel error circa qualitates personæ dat illi causam: Quare sicut, qui fingendo paupertatem extorquet eleemosynam, non acquirit dominium eleemosynæ ex defectu consensus in conferente; Ita qui fingendo divitias, vel nobilitatem extorquet contractum matrimoniale, non acquirit dominium in corpus alterius ex defectu pariter consensus in contrahente.

Confirmatur; quia Sponsalia contracta per dolum dantem illis causam, sunt invalida; ergo etiam matrimonium.

Respondeo distinguo antecedens: Contractus initi ex dolo, vel errore dante illis causam sunt invalidi, si error sit circa substantiam contractus,

ut

ut in casu adducto de conferente eleemosynam fungenti paupertatem, concedo; Si error sit extra naturam contractus, & non circa substantiam illius, ut est error circa qualitates personae in contractu matrimoniali, nego antecedens, & consequentiam. Verum quidem est, quod contractus bona fidei initi ex dolo dante causam contractui sint irritandi, etiam si dolus versetur circa accidentia, non circa substantiam contractus; quia tamen matrimonium ex institutione divina est indissolubile, nec irritum est, nec irritandum, quando dolus dans causam contractui versatur circa accidentia.

Ad confirmationem diximus, cum de Sponfali ex Less., & Con., probabilius esse, quod sponsalia etiam sint irritanda, ut reliqui contractus, non vero irrita, quando dolus, sive error dat causam contractui Sponsalitio; Verbi gratia, si quis ratione divitiarum promittat matrimonium Bertha simulanti se divitem. Et ratio est, quia in tali casu non deficit consensus circa substantiam, nec deficit voluntarium simpliciter: ergo contractus non est irritus, quamvis sit irritandus; Quia tamen matrimonium ratione suæ indissolubilitatis irritari non potest, idcirco in simili casu nec irritum est, nec irritandum.

VIII. Addo, quod etiam si universum sit ipso jure irritus contractus celebratus per dolum dantem illi causam, qui adhibetur ab altero contrahente, ut docet Sanch. lib. I. disp. 64. ex leg. laud. Et eleganter, ex defectu consensus contrahentium; tamen contractus matrimonialis (sicut etiam professio religiosa) celebratus per eundem dolum in casu nostro est validus; quia in matrimonio qualitas Personæ non spectat ad substantiam contractus, sed ad rationem impulsivam; ergo error circa illam non

Pars VII.

tollit consensum, nec voluntarium simpliciter, ut docent communiter Doctores.

Ratio a priori est, quia cum matrimonium sit indissolubile (sicut etiam professio religiosa) incongruum est, ut quis talem statum perpetuum eligat dependenter ab aliis rebus extrinsecis, & accidentariis præter eas, quæ sunt de talis status substantia; aliter multa matrimonia, & profesiones censenda essent irrita; quod cederet in grave damnum, & scandalum Reipublicæ: Quare dicendum quod voluntas absoluta contrahendi matrimonium, vel profitandi, cum versetur circa statum fixum, & perpetuum, includat virtualiter voluntatem eligendi talem statum, etiam si erretur in circumstantiis, & qualitatibus huic statui extrinsecis.

ARTICULUS III.

De Impedimento Conditionis servilis.

- I. Matrimonium ignoranter contractum cum mancipiis jure Ecclesiastico est irritum; dummodo inter contrahentes habeatur inegalitas.
- II. Servi, invitis Dominis, valide, ac licite possunt matrimonium contrahere; dummodo non defint obsequiis debitis.
- III. Quando servus nequit simul Dominum, & Uxori facere satis, prevaleat jus Domini, si eo invito matrimonium contraxit; secus pravat let jus Uxorius.
- IV. Num possit aliquis sive liber, sive conjugatus seipsum vendicare?
- V. Si alter conjux sit liber, alter servus, partus sequitur ventrem quoad servitatem; at sequitur Patrem quoad honores, & nobilitatem.

Q

I. Cer.

I. C^{on}ertum est primo, solo jure Ecclesiastico, non naturali conditionem servilem unius, ab altero ignoratam, dirimere matrimonium; ut communiter docent contra Sylvest., & Palat. Non est tamen hic sermo de servis ascriptitiis, qui scilicet agris, vel prædiis colendis sunt perpetuo ascripti, inde tantum deducentes, quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria, quorum filii dicuntur servi originarii; sed sermo est de mancipiis, in quæ Dominus habet plenum jus vendendi, & in quibusvis operibus occupandi.

Certum deinde est, conditionem servilem debere esse ignoratam ab altero contrahente, ut dirimat matrimonium, ceteroqui nulla fieret injuria alteri contrahenti libero; quandoquidem scienti, & volenti nulla sit injuria. Immo communiter Doctores docent apud Bonac. quæst. 2. punct. 3., quod non sit invalidum matrimonium contractum cum errore conditionis servilis, quando æqualis conditionis sunt contrahentes; ut si servus contrahat cum serva, quam putabat liberam, ex cap. *Si quis, de Conjugio servorum*; vel si liber contrahat cum serva putata libera, dummodo per matrimonium libertatem acquirat; quicquid repugnat Covarr., & Hurt. Etenim Ecclesia apposuit hoc impedimentum, ut tollatur inæqualitas, & ne fiat injuria personis liberis. In his autem casibus nulla haberetur inæqualitas, nec injuria; ergo validum esset matrimonium cum hoc errore contractum: Contra vero est invalidum, si liber contrahat cum serva putata libera, quando hæc non per matrimonium, sed post matrimonium libertatem acquirat; quia quod initio fuit invalidum, tractu temporis non convalescit. Idque verum est, etiam si post manumissionem servæ alter contrahens liber inscius impedimen-

ti habuerit cum illa copulam animo maritali; etenim talis copula habetur vi primi consensus, qui fuit natus.

Præterea probabile est ex Sanch. disp. 19., validum esse matrimonium contractum cum errore conditionis a libero cum serva, quæ post breve tempus manumittenda est, videlicet ante sex menses, quod tempus injure putatur modicum; & quod modicum est, pro nihilo reputatur.

Denique notandum, ignorantiam conditionis servilis crassam, & supinam non reddere matrimonium validum, ut communiter docent cum Sanch. lib. 7. disp. 19. contra Sotum, & Ledesm. Ratio est, quia jus absolute irritat matrimonium ignorantem contractum cum servis; ergo quæcumque ignorantia conditionis servilis est impedimentum dirimens.

H. Quæritur nunc primo; An possit mancipium, invito Domino, matrimonium contrahere.

Respondeo, non solum valide, sed etiam licite posse. Ita communiter ex cap. p. de *Conjugio Servorum*. Immo Domini nec poslunt mancipiis matrimonium interdicere, nec illa punire, quod matrimonium ipsis invitatis contraxerint. Ratio est, quia etiam servi habent plenum dominium in sua corpora; & consequenter possunt per matrimonium tradere coniugi dominium proprii corporis. Debent tamen servi, antequam matrimonium contrahant, consensum a Domino petere, ut diximus quæst. 4. art. 1. de filiis, qui debent a Parentibus consilium petere, (quanvis non teneantur illud sequi) cum id exigat reverentia debita. Notandum tamen, quod servus cavere debeat, ne privet Dominum debitum obsequium, contrahendo matrimonium, illo invito; Nam per matrimonium non excluditur ab obligatione erga illum.

III.

III. Quæritur secundo; si mancipium, invito Domino, matrimonium contraxit, & non potest simul satisfacere Domino, & Uxori, Utrinam prius satisfacere debet?

Respondeo, variare in hoc puncto. Doctores. Probabilius existimo, quod docuit Perez, distinguendum esse; nam si consentiente Domino contraxit matrimonium, prævalere debet jus conjugis; quia cui conceditur principale, videtur concedi accessoriū, ex cap. Prudentiam, de Officio delegati; si vero, ut in casu proposito, invito Domino contraxit, prævalere debet jus Domini; quia ex cap. I. de Conjugiis servus tenetur ad consueta Domino obsequia præstanta, non minus quando est conjugatus, quam quando non est conjugatus; Etenim res cum suo onere transfit ad Possessorem, ex cap. Ex literis, de pignoribus; atque adeo jus Domini prævalet.

Ubi notandum, quod si Dominus consensit in matrimonium servi, non tenetur ei quicquam remittere de servitiis solitis, sed tenetur non vendere illum in remotis Regionibus sine notabili necessitate, nec impedire omnino usum matrimonii: Contra tamen, si Dominus non consensit, non peccaret contra justitiam, sed solum contra charitatem, si sine justa causa illum in Regionibus remotis venderet.

IV. Rogabis; An conjugatus possit seipsum venundare, hoc est seipsum alteri dare in servitutem?

Respondeo, certum esse, id non licere sine justa causa neque conjugato, neque non conjugato; esset enim talis venditio manifesta profusio sua libertatis, quæ præstantior est bonis fortuna, & famæ: ergo si non licet prodige profundere bona fortunæ, & famæ, a fortiori nec libertatem. Interveniente au-

tem justa causa, licitum est; quia unusquisque Dominus est bonorum suorum, honoris, famæ, & libertatis. Quod constat exemplo laudabili B. Paulini seipsum vendentis pro libertate filii cuiusdam Viduæ. Si vero conjugatus invito altero conjuge seipsum venundaret, peccaret etiam contra justitiam; ut notant Ledesm., & Perez contra Sanch.; quia quamvis id non cederet in detrimentum conjugis quoad debitum conjugale, at cederet in dedecus grave uxoris, & filiorum, & redundaret in ipsorum injuriam. Addo, quod in Regno Hispaniæ talis venditio non est valida, & potest ab uxore rescindi non soluto pretio, ex leg. regia final., titul. 5. part. 4.

V. Quæritur ultimo; quando alter conjux est servus, alter liber, filii, qui nascuntur, suntne liberi, an servi?

Respondeo, filios in hoc sequi conditionem matris, quæ magis certa est, quam Patris, ex leg. Partum, Cod. de rei vindicatione; ubi habetur, quod partus sequitur ventrem; ita ut si mater sit libera, is liber sit, si serva, servus: Contra vero quoad honores, & nobilitatem, filius sequitur conditionem Patris, ex leg. cum legitime ff. de statu hominum. Et rationem assignat D. Th. quia cum filius recipiat suum esse a Patre, tamquam a principaliori causa efficiente, honor, & dignitas, quæ pertinent ad esse filii, sequuntur conditionem Patris.

Notandum tamen, quod si mater serva fuerit facta libera tempore, quo uterum gestat, partus est liber; quia libera est mater, dum parit, ut notant Sanch., & alii.

ARTICULUS IV.

De Impedimento Voti.

- I. *Dirimit matrimonium castitatis votum solemne, ac votum simplex in Societate Jesu.* At neque hoc dirimit matrimonium ratum: Neque votum solemne annexum Ordini Sacro. Neque Professio Religiosa dirimit matrimonium consummatum.
- II. *Qui habet causam faciendi perpetuum divortium, valide, & liceite potest Religionem ingredi, ac in ea profiteri, altero invito;* Secus Professio est invalida. Quid si quis bona fide profiteatur putans conjugem obiisse?
- III. *Si maritus de consensu uxoris profiteatur in aliqua religione, poterit ne uxor in seculo remanere?*
- IV. *Potestne Pontifex dispensare in voto solemni castitatis?*

I. Plurima huc spectautia diximus quæst. 2. art. 4. ubi de voto dissolvente Sponsalia; & quæst. 3. art. 3. cum de indissolubilitate matrimonii: Quare certum est, votum simplex castitatis impedire tantum, non dirimere matrimonium: Contra vero votum solemne, (quod scilicet emittitur in susceptione Ordinis Sacri, & in Professione Religiosa) necnon votum simplex in Religione approbata, quod emittitur in Societate Jesu post novitiatum, dirimit matrimonium, quod post tale votum contraheretur, ex cap. unic. de voto in 6.

Certum præterea est, matrimonium ratum jam contractum dirimi per solam professionem religiosam (ut diximus loc. citat.) ex speciali Ecclesiæ statuto; non tamen per votum solemne annexum Ordini Sacro, aut per vota simplicia in Societate Jesu. Di-

rimitur tamen etiam per professionem solemnem Equitum militarium, ut sunt Equites S. Joannis; quia isti, quavis non vivant in communi, sunt vere Religiosi, ut Sanch. lib. 2. disp. 18., & alii communiter docent contra Soc.

Denique certum est, matrimonium consummatum dirimi non posse, ne per professionem quidem religiosam; ut constat ex dicto Apostoli: *Mulier alligata est viro, quamdiu vir ejus vivit;* unde si uterque conjux de communi consensu Religionem ingreditur, & profiteatur, & deinde formetur, non solum sacrilegium, sed etiam adulterium committeret.

II. Quæritur nunc primo; An alter conjugum possit valide professionem Religiosam emittere, inscio altero, aut altero per vim, & metum consentiente?

Respondeo, certum esse, quod quando unus conjugum potest facere perpetuum divortium propria auctoritate, potest etiam ingredi Religionem, & profiteri valide, vel Sacros Ordines suscipere, altero coniuge invito remanente in seculo; ut habetur in cap. *Veniens, de Conversione Conjugorum.* Seclusa tamen hac causa perpetui divortii, invalida est Professio facta ab uno, altero non sponte consentiente; atque adeo si Titus credens, Bertam periisse, bona fide profiteatur, & postea cognoscat, illam esse superflitem, debet ad illam reverti, teneturque reddere illi debitum, non tamen potest debitum petere; Sicut nec potest, mortua Berta, aliam uxorem ducere ratione voti emissi in Professione, quod obligat quantum potest, ut communiter docent apud Bonac., & habetur in cap. *Placet, de Conversione Conjugorum.* Et ratio a priori est, quia actus, qui non valet eo modo, quo fit, valet modo, quo valere potest, ex cap. n^o 1110

nico de desponsatione impuberum in 6.
Potest tamen Episcopus dispensare,
ut possit petere debitum; sicut etiam
dispensare possunt Religiosi habentes
hujusmodi privilegium.

III. Quæritur secundo; An possit
Titius post consummatum matrimonium
cum Berta, de consensu illius
Religionem ingredi, & profiteri, Ber-
ta in seculo remanente?

Respondeo, Bertam regulariter te-
neri ad ingressum Religionis statim,
ac Titius de suo consensu professus
est; ut ostendit Sanch. lib. 7. disp. 34.;
Posset tamen Berta in seculo rema-
nere, si tria concurrent; Primo,
quod sit senex, idest saltem quin-
quagenaria; Secundo, quod votum
castratus emitat; Tertio, quod con-
sensum Episcopi obtineat.

IV. Quæritur ultimo; An possit Pa-
pa dispensare in hoc impedimento
dirimente voti; ita scilicet, ut valide
matrimonium celebret Professus, aut
Sacris Ordinibus initiatus?

Respondeo cum communi affirmati-
ve; tum quia jure Pontificio, non
naturali, tale impedimentum institu-
tum est, ut supra diximus; tum et-
iam, quia plures in eo dispensatum
est, ut videre est apud Dian. part.
8. tract. 1. resol. 72. & 73. præsertim
cum Casimiro I. Rege Poloniae, qui
erat Diaconus, & Professus Benedi-
ctinus, & auctoritate Benedicti IX.
vel Clem. II. ad nuptias transit.

ARTICULUS V.

De Impedimento Ordinis.

- I. *Ordo Sacer dirimit matrimonium contrahendum, non vero contractum. Et etiam apud Græcos irritum est matrimonium post Ordines Sacros contractum.*
- II. *Qui Sacros Ordines suscipit, tenetur emittere votum castratus. Quod si expresse id nolit, & peccat gra-*

*viter per hoc, quod votum non
emittat, & peccando contra casti-
tatem peccat etiam sacrilegio spe-
ciali sacrilegio; quamvis non peccet
contra votum.*

III. *Hinc ex voto simul, & ex lege Ec-
clesie habens Ordines Sacros tene-
tur castitatem servare; & invali-
de contrahit matrimonium, quam-
vis noluerit vovere castitatem.*

IV. *Qui ante pubertatem suscipere
Ordines Sacros, tenetur castitatem
vovere; Qui vero in infantia,
tenetur cum pervenerit ad usum
rationis de statu amplectendo de-
cernere.*

V. *Invalidus Ordinatus ex defectu in-
tentionis in Ordinante non tenetur
ad castitatem servandam, eo quod
vooverit illam accessorie. Secus
vero qui pariter invalidus Profes-
sionem Religiosam emitteret.*

VI. *Suscipiens Ordines Sacros per me-
tum gravem probabiliter invali-
de castitatem vovet; Unde potest
matrimonium contrahere, & ad
horas recitandas non obligatur.
Sed probabilior est sententia oppo-
sita.*

I. **A**neftimus hic impedimen-
tum Ordinis, utpote Voti
impedimento affine. Dirimit Ordo
Sacer matrimonium contrahendum,
non vero contractum; Unde si quis
absque consensu uxoris post matrimo-
nium ratum suscipiat Ordines Sacros,
non ingrediendo Religionem, tenetur
reddere, quamvis non possit petere
debitum; & est Irregularis ex Ex-
iravag. Antiquæ, de Voto. Verum Ec-
clesia Græca permittit quidem conju-
gatis suscipere Ordines Sacros, & uti
matrimonio ante Sacros Ordines con-
tracto; Irritum tamen est matrimo-
nium post Sacros Ordines celebratum,
etiam apud Græcos, non secus ac in
Ecclesia Latina.

II. Quæritur nunc primo; Utrum ex voto tantum, an etiam ex Ecclesiæ præcepto teneatur servare castitatem initiatus Ordine Sacro?

Respondeo, Valent. apud Perez disp. 27. sect. 2. putare, quod ex solo Ecclesiæ statuto servare teneatur castitatem: Quod probat, quia si quis vellet suscipere Ordines, & non se obligare ad castitatem, adhuc ad castitatem teneretur; at non ex vi voti, seu propriæ promissionis; ergo ex Ecclesiæ statuto. Communiter tamen cum D. Th., & Sanch. lib. 7. disp. 27. docent, obligatiōnem servandi castitatem haberi ex voto implicito, quod ex statuto Ecclesiæ emitte debet a suscipiente Ordines Sacros; cum enim is sit usus Ecclesiæ, ut suscipientes Ordines Sacros obligentur ad castitatem, consequenter qui vult illos suscipere, implicite vult castitatem promittere, seu vovere, etiamsi explicite illam non voveat: Quare ipsa voluntaria suscepit Ordinis Sacri secundum Ecclesiæ leges censetur sufficiens emissio, ac solemnizatio Voti castitatis.

Hinc sequitur primo, quod qui vult suscipere Ordines Sacros, & expresse non intendit se obligare ad castitatem, peccet sacrilege, non solum quia indigne recipit Sacramentum Ordinis, sed etiam quia recipit sine dispositio-
ne ab Ecclesiæ requisita, id est sine pro-
missione castitatis.

Sequitur secundo, quod si iste talis fornicetur, non peccet contra vatum; sed peccet sacrilege speciali specie sacrilegii, ut notat Con. de Sacram. Ordinis dub. 3., quia peccat contra Ecclesiæ statutum prohibens actus contra castitatem habenti Ordines Sacros ex speciali indecentia talis status, atque adeo ex motivo Religionis. Immo cum semper maneat obligatus ad emittendum vatum castitatis, inde fit, ut continuum sacrilegium committat,

quousque tale votum non emitte.

III. Sequitur tertio, quod iste talis invalide contraheret matrimonium, non ratione voti, cum illud non emiserit, sed ex lege, seu consti-
tutione Ecclesiæ redditis inhabiles ad con-
trahendum matrimonium initiatos Or-
dinibus sacris.

Sequitur quarto, obligationem ser-
vandi castitatem in habente Ordines Sacros non oriri dumtaxat ex voto, sed etiam ex Ecclesiæ lege; que non solum præcipit, ut tale votum emittatur, sed etiam reddit invalidum ma-
trimonium habentis Ordines Sacros, etiamsi non emiserit votum.

IV. Sequitur ultimo, quod si quis doli capax ante pubertatem suscipiat Ordines Sacros, obligari debeat voto solempni castitatis, ut communiter docent cum Suar., Hurt., Perez contra Sanch. lib. 7. disp. 3. Etenim com-
habeat usum rationis, debet, ut ca-
teri, obligari.

Neque dicas; Votum solempne Re-
ligionis non obligat ante decimum le-
tum annum; ergo neque votum so-
lempne annexum Ordini Sacro: Neg-
atur enim consequentia, quia in par-
ticularibus dispositionibus juris positi-
vi argumentum a pari nihil concludit:
Neque enim, quia in peregrinatio Nati-
vitatis S. Joannis Baptista tenemur
jejunare, idcirco tenemur etiam jeju-
nare in peregrinatio Nativitatis Beatae
Virginis, quamvis haec sit illo sanctior
& venerabilior.

Dubium est de Infantibus, qui an-
te usum rationis ordinantur in Sacris;
Quamvis enim certum sit, quod isti
valide ordinantur, & characterem re-
cipiant, & simul certum sit, quod isti
votum non emittant; Dubitatur tamen,
An ex præcepto Ecclesiæ, cum ad aratem adulterii pereverint, ob-
ligandi sint ad castitatem, & invalide
matrimonium contrahant?

Affirmant Hurt. disp. 16., Rebel.
Lc.

Ledesm.. Sed communius cum Vasq., Suar., Sanch. lib. 7. disp. 30. negant; quia Ecclesia statutum solum obligat eos, qui voluntarie ordinantur, *ex cap. 1. Qui Clerici, vel voventes*: Unde poterit iste puer ante usum rationis ordinatus, cum fuerit sui compos, vel exercere Ordines Sacros, & sic tenetur castitatem vovere, & officium recitare; vel poterit velle matrimonium contrahere, & sic remanere perpetuo suspensus ab usu Ordinis.

Hinc sequitur, quod adultis, qui ordinantur in Sacris, cum ignorantia invincibili voti annexi Ordinibus Sacris, & cum ignorantia statuti Ecclesiae reddentis Ordinatos inhabiles ad contrahendum, sequitur, inquam, quod non solum invalide matrimonium contrahant, sed etiam obligentur ad votum emittendum, & ad recitandum officium, ut docent Sanch. disp. 27., & Bonac. quæst. 3. punct. 9. contra Vasq.; Etenim qui libere vult statum aliquem, vel aliquod munus suscipere, vult etiam implicite quæcumque tali statui, aut muneri sunt annexa, etiamsi de iis habeat ignorantiam; Quod si adultus involuntarie ordinaretur, quia vere Ordines non susciperet, nullam contraheret obligationem; & sic posset valide, & licite matrimonium contrahere, & ad horas recitandas non teneretur.

V. Dubium præterea est; An qui invalide ordinatur, verbi gratia, ex defectu intentionis in Ordinante, teneatur adhuc vi voti simplicis ad castitatem: Sicuti tenetur, qui invalide est profensus, ex illo Principio, quod *Aetus, qui non valeat eo modo, quo fit, valet modo, quo valere potest.*

Communiter contra nonnullos negant; quia recipiens Ordines non intendit emittere votum castitatis, nisi quatenus tale votum necessario debet consequi Ordines Sacros; atque adeo tantum accessorie intendit vovere ca-

stitatem; ergo si invalide recipit Ordines, votum revera non emisit; etenim accessorium non subsistit, non subsistente principali: Contra vero qui in Religione Professionem emittrit, principaliter intendit vovere castitatem; unde si invalide profitetur, puta ex defectu ætatis, licet non teneatur voto solemini, tenetur tamen voto simplici castitatis, juxta doctrinam Sanch. lib. 7. disp. 27. num. 13.; quia scilicet Professioni Religiosæ non est accessorium votum castitatis; (sicut est accessorium Ordini Sacro ex statuto Ecclesiae) sed est essentiale, & principale.

Ex hac doctrina sequitur, quod si quis suscipiens Ordines minores castitatem voveat, eo quod putet iis Ordinibus esse annexum pariter votum solemine castitatis, revera nec voto solemini, nec simplici ad castitatem teneatur, ut docet Sanch. lib. 7. disp. 31., Bonac. loc. cit., & alii contra non paucos; immo interveniente iusta causa, possit absque culpa ulla veniali matrimonium contrahere. Ratio est, quia iste talis non intendebat vovere castitatem, nisi quatenus credebat, tale votum esse annexum Ordinibus minoribus; ergo cum revera non sit annexum, sequitur, quod tali voto non obstringatur.

VI. Quaritur etiam; An qui per metum gravem suscipit Ordines Sacros, teneatur ad castitatem, & invalide contrahat matrimonium?

Respondeo, Bonac., Sanch., Con., & alios negare; quia votum tali metu emissum jure Ecclesiastico est irritum, *ex cap. Perlatum, de iis, que vi, metusve causa sunt*; unde non obligatur ad castitatem vi voti; Neque obligatur ex præcepto Ecclesiae; quia Ecclesia obligat ad castitatem illos tantum, qui sponte Ordines suscipiunt, ac privilegiis Clericalibus uti volunt; Par enim est, ut qui sentit commodum,

dum, sentiat & onus, ex Regula 55. de Regulis juris in 6. Et propter eandem rationem non inhabilitat talem personam ad contrahendum matrimonium; Nec obligat illum ad officium recitandum, nisi sublatu metu, & coactione sponte amplectatur statum clericalem.

Vsq. tamen tom. 3. in 3. part. dis-
put. 236. cap. 3. cum Silv., & aliis
affirmant teneri ad castitatem, tum
ratione voti, tum ratione præcepti:
Tenetur quidem ratione voti; quia
jure Ecclesiastico solum irritatur vo-
tum emissum in Religione per gravem
metum, non vero votum in suscep-
tione Sacri Ordinis sic emissum: Tene-
tur etiam ratione præcepti Ecclesiasti-
ci; quia qui per metum gravem Or-
dines suscipit, libere consentit ad Or-
dines suscipiendos; (cum metus non
tollat libertatem, & voluntarium sim-
pliciter) atque adeo consentire etiam
debet ad votum castitatis, & ad ob-
ligationem inde provenientem.

Neque dicas: Præceptum Ecclesiasti-
cum cum gravi metu non obligat;
Nam contra est, quia in casu nostro
Ecclesia tantum accessorie obligat ad
castitatem illum, qui voluntarie, licet
coactus, suscipit Ordinem Sacrum;
Quare si voluntarie ordinatur, volun-
tarie etiam suscipere debet obligatio-
nem servandi castitatem; cum acces-
sorium sequi debeat principale.

ARTICULUS VI.

De Impedimento Cognitionis.

- I. Cognatio triplex est, Spiritualis, Legalis, & Naturalis, juxta tripli-
cem modum, quo personæ possunt es-
se propinquæ inter se.
- II. Explicatur quousque cognitiones ista
matrimonium dirimant.
- III. Plura requiruntur, ut spiritualis
cognatio contrahatur.

IV. Spiritualis cognatio a Patriniis ha-
contrahitur, si baptizans confe-
tur privatim; aut si in Ecclesia so-
lum suppleantur solemnitates. Ba-
ptizans autem illam contrahit, et
iam in baptismo privato. Quid si
Pater filium baptizet?

V. In baptismo, in quo Patrinus susci-
pit puerum per Procuratorem, pro-
babilius solus Principalis cognati-
nem contrahit.

VI. Si plures puerum teneant in bap-
timo, quisnam contrahit cognati-
nem?

VII. Cognitionis Legalis impedimentum
probabilius per solam adoptionem
perfectam contrahitur.

VIII. Num sit iure naturæ irriterum ma-
trimonium inter fratrem, & sor-
orem?

IX. Quid de Matrimonio inter Aquam,
& Nepotem? Aut inter Affinitatem
primo gradu?

X. Quid de matrimonio inter Parum,
& filiam?

I. **T**riplex datur Cognatio, Spi-
ritualis, Legalis, & Natur-
alis; quia propinquitas personarum o-
riri potest vel vi Sacramentorum,
vel vi legis, vel ex ipsa natura.

II. Cognatio Spiritualis est propin-
quitas quarundam personarum ex latu-
toto Ecclesiæ consurgens propter col-
lationem, & susceptionem Baptismi,
& Confirmationis. Nam sicut per ge-
nerationem naturalem contrahitur co-
gnatio naturalis; ita per genera-
tionem spiritualem factam in his Sacra-
mentis contrahitur cognatio spiritua-
lis: Proinde dirimitur matrimonium
inter baptizantem, & baptizatum,
inter baptizantem, & Patrem, & Ma-
trem baptizati; & eodem modo in-
ter susceptorem, & suscepit, atque
hujus patrem, & matrem; non vero
inter susceptores ipsos; Et idem di-
cas in Sacramento Confirmationis ex
Tri-

Trident. sess. 24. Olim cognatio spiritualis erat triplex, Paternitas, Compaternitas, & Confraternitas. Paternitas erat inter baptizantem, aut confirmantem, ac suscipientem, & baptizatum, aut confirmatum; Unde dicti sunt Patrini. Compaternitas erat inter baptizantem, confirmantem, suscipientem, & patrem, & matrem baptizati, aut confirmati; unde dicti sunt compatres, & commatres. Confraternitas erat inter filios baptizantis, confirmantis, suscipientis, & baptizatum, aut confirmatum. Trident. loc. cit. tamen sustulit Confraternitatem, & reliquit tantum paternitatem, & compaternitatem, & decrevit, ut unus tantum esset susceptor, sive vir, sive mulier, aut ad summum unus, & una, qui baptizatum, aut confirmatum suscipiant.

Cognatio legalis est propinquitas quarundam personarum consurgens ex adoptione; dirimitque matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, ejusque descendentes usque ad quartum gradum: Probabile tamen est ex Dian. part. 9. tract. 6. resol. 54., quod post Trident. dirimat solum usque ad secundum gradum inclusive: Dirimit etiam inter uxorem adoptantis, & adoptatum, & viceversa inter uxorem adoptati, & adoptantem; sicut inter filios adoptantis, & adoptatum: Si tamen filii adoptantis emancipentur, aut eorum pater moriatur, cessat cognatio, atque adeo impedimentum, ut notat Bonac.

Cognatio naturalis est propinquitas personarum orta ex hoc, quod persona ab eodem stipite proximo per naturalem generationem descendant. Hæc cognatio olim dirimebat matrimonium usque ad septimum gradum; nunc vero post Lateranense sub Innoc. III. dirimit solum usque ad quartum gradum linea transversalis inclusive; Nam gradus omnes linea recte pro-

Pars VII.

babile est, jure naturæ esse prohibitos; sicut & primum gradum linea transversæ.

Ita tamen numerantur gradus linea rectæ, ut tot gradibus distare unus dicitur ab alio, quot generationibus inferior a Superiore descendit: Verbi gratia, quia filius descendit a Patre per unicam generationem, dicitur filius uno gradu distare a Patre, seu esse illi consanguineus in primo gradu linea rectæ; quia vero nepos descendit ab Avo per duas generationes, ideo consanguineus est illi in secundo gradu; Et eadem ratione Pronepos Proavo est consanguineus in tertio gradu; & Abnepos ab Abavo distat in quarto; sic etiam ab Atavo, Tritavo, & aliis Majoribus.

Gradus vero linea transversæ ita numerantur, ut tot gradibus persona distent inter se, quot gradibus distant a communi stipite: Verbi gratia, duo fratres dicuntur consanguinei in primo gradu; quia uno gradu distant a Patre stipite communi: Econtra Patruelis, & Confobrini dicuntur esse in secundo gradu consanguinitatis; quia a communi stipite, hoc est ab Avo duabus gradibus, seu duabus generationibus distant; Sic etiam Patruus, & Nepos sunt in secundo gradu; quia nepos, qui magis distat ab Avo communi stipite duabus gradibus distat: Verum quia Patruus uno tantum gradu distat ab Avo stipite communi, idcirco Nepos, & Patruus dicuntur habere consanguinitatem primi in secundum gradum: Et idem dicas de Amita, & Materterta cum Nepote: Præterea filii Patruelium, & Confobrinarum dicuntur esse in tertio gradu consanguinei; quia tribus gradibus distant a communi stipite, hoc est a Proavo, & sic de reliquis. Jus tamen civile computat gradus utriusque Consanguinei, & dicit, Fratres inter se distare duabus gradibus, Pa-

R - trium

truum a Nepote tribus , Patrueles quatuor, filios Patruelium sex; His explicatis
III. Quæritur primo ; Quænam con-
ditiones requirantur , ut contrahatur
cognatio spiritualis?

Respondeo ex Bonac., Con., & aliis; Primo requiri, ut ii , inter quos
contrahenda est cognatio spiritualis,
sint baptizati; aliter cum non sint sub-
diti Ecclesiæ , non contrahunt tale im-
pedimentum jure Ecclesiastico intro-
ductum : Immo qui tenet alterum in
confirmatione , debet esse etiam con-
firmatus, ex cap. *In baptismate, de con-
secratione*; Debet præterea habere u-
sum rationis; aliter non posset habe-
re sufficientem intentionem obeundi
munus suum.

Secundo requiritur, ut Susceptor sit
a Parentibus, vel a Parocho designa-
tus : Debent quidem illum designare
Parentes; sed in defectum Parentum,
potest illum designare Parochus ex
Trident.

Tertio requiritur, ut Susceptor te-
neat manibus suscepitum, dum bapti-
zatur , aut confirmatur ; vel saltem ,
ut immediate ex baptizantis manibus
suscipiat , ex declaratione Congrega-
tionis Cardinalium; aliter non dicere-
tur suscipere , vel levare puerum de
Sacro fonte. Præterea requiritur , ut
susceptor id faciat animo obeundi mu-
nus Susceptoris ; quamvis non requi-
ratur , ut id faciat animo contrahen-
di cognitionem spiritualem, nec sit ne-
cessic , ut Patrini respondeant in Ca-
techismo , ut communiter docent con-
tra Sylvest.

IV. Quarto requiritur , ut Sacra-
mentum conferatur ; Unde quando
puer domi baptizatur , & in Ecclesia
supplentur solemnitates , non contra-
hitur cognatio ab eo, qui illum susci-
pit in Ecclesia; quia is vere non est
susceptor in baptismo: Si tamen in Ec-
clesia rebaptizetur sub conditione ,
contrahitur cognatio.

Quinto demum requiritur , ut Su-
sceptor puerum teneat , dum bapti-
mus solemniter administratur : Unde
quando privatim domi baptizatur , Pa-
trini non contrahunt hanc cognacio-
nem; ut docent communius cum Suar.,
Sanch. contra Navar., Con., Sà, Gu-
tierrez. Et ratio est , tum quia Eccle-
sia instituit susceptores solum in ba-
ptismo solemnii , ut constat ex Trident.
loc. cit ; tum etiam , quia communi-
ter non vocantur Compatres , & Pa-
trini , nec tales habentur , qui suscip-
iunt puerum in baptismo privato .
Verum qui privatim est baptizimi Mi-
nister , cognitionem contrahit ; cum
talis cognatio universim ex collatione
veri baptizimi consurgat : Unde fit ,
quod si in extrema necessitate Pater
baptizet filium suæ concubinæ ; non
possit postea matrimonium cum illa
contrahere . Si vero Pater in extrema
necessitate baptizet filium suæ uxoris ,
non impeditur a petendo debito ; quia
non debet hanc pœnam parere actus
ille virtutis : Si tamen filium sine ne-
cessitate baptizet , aut suscipiat , pe-
ccat quidem graviter , sed probabiliter
nec impeditur a debito petendo ; ut
docent Suar., Con. disp. 34. dub. 8.,
& alii contra plures graves Doctors ,
ut dicemus quæst. 7. art. 3.

V. Dubium est primo ; Quisham
contrahat cognitionem spiritualem ,
quando aliquis mittit Procuratorem
ad suscipiendum infantem , Principa-
lisne , an Procurator , an neuter ?

Sanch. lib. 7. disp. 59. , & alii ex-
sistunt , quod neuter ; non enim Pro-
curator , quia alterius nomine suscipit ;
Nec Principalis , quia vere non susci-
pit puerum de Sacro fonte , cum il-
lum non tangat ; In pœnis autem be-
nigna interpretatio facienda est , ex
Regula 49. juris in 6. Alii purant ,
quod solus Procurator cognitionem
contrahat ; quia is vere tangit , & sus-
cipit puerum .

Pro-

Probabilius tamen docent Bonac., Con., Sà, Rebel., quod solus Principalis illam contrahat ex declaratio-ne Cardinalium: Et ratio est, quia qui per alium facit, per scipsum facere censetur, *ex leg. Licet, de constitutione pecunie.*

Neque dicas: Si Parochus alium delinet, qui suo nomine puerum baptizet, Parochus non contrahit cognitionem spiritualem; ergo neque si Principalis destinet Procuratorem ad puerum suscipiendum.

Nam concessio antecedente, negatur consequentia. Disparitas patet; quia qui baptizat, non potest nomine alterius hominis baptizare; sustinet enim immediate personam Christi, & est verus minister baptismi; unde iste cognitionem contrahit, & non Parochus, qui solum dare potest licentiam, non vero constitutere illum Procuratorem ad conferendum baptismum: Contra vero in casu nostro.

VI. Dubium est secundo; Quando plures tenent puerum in baptismo, omnesne, an aliqui; Et quinam contrahunt hanc cognitionem?

Respondeo, illam contrahi solum a designatis, quamvis contra voluntatem Parochi: Si tamen plures, quam unus, & una sint designati, primus vir, & prima mulier ex designatis, qui puerum tangunt; illam contrahunt; Quod si plures simul puerum tangant, putant aliqui, neminem cognitionem contrahere; quia nemo obit illud munus juxta formam a Trident. præscriptam: Communiter tamen cum Sanch., Bonac., Con. docent, quod omnes illum contrahant ex declaratione Cardinalium; nam quamvis Trident. prohibeat, ne plures id munus obeant, factum tamen non irritat.

VII. Quaritur secundo; Utrum impedimentum cognitionis legalis ori-

tur solum ex adoptione perfecta, an etiam ex imperfecta?

Pro responsione notandum primo, Adoptionem esse legitimam assumptionem extraneæ personæ in filium, vel nepotem; neque enim potest quis adoptari in fratrem, vel parentem, *ex leg. Nec apud, Cod. de hereditatis constitutione.*

Notandum secundo, ad adoptionem requiri primum, ut adoptans non sit femina; Secundo, ut sit sui juris, & major viginti quinque annis; nam usque ad vigesimum quintum annum iure communi non habet administrationem bonorum, exceptis castrenisibus, vel quasi castrenisibus. Tertio, ut excedat adoptatum saltem decem, & octo annis, & quod possit esse ejus Pater carnalis: Quare etiam Sacerdos potest adoptare; non tamen frigidus, & qui ex alio defectu naturali habet impotentiam ad generandum; cum adoptio sit instituta ad supplendum defectum filiorum.

Notandum ultimo, Adoptionem perfectam dici illam, qua adoptatus transit in potestatem adoptantis, fitque ejus haeres necessarius etiam ex testamento; quod fit auctoritate Supremi Principis. Dicitur vero adoptio imperfecta, seu simplex, qua adoptatus non transit tanquam filius in potestatem adoptantis, nec est ejus haeres necessarius ex testamento, sed solum ab intentato; & fieri potest auctoritate Magistratus inferioris. His explicatis.

Respondeo, Hurt., Rebel., Pal. apud Dian. part. 9. tract 6. refol. 54. docere, etiam ex adoptione imperfecta oriri impedimentum cognitionis legalis; quia etiam adoptio imperfecta est vera adoptio. Sed communius cum Sanch., Reginald., Bonac., Perez negant, quia cum matrimonium sit materia favorabilis, impedimenta restringenda sunt: Et o-

R. 2. mnia.

innia jura, quæ in contrarium adducuntur, explicari possunt de adoptione perfecta. Propter eandem rationem communiter docent, cognationem hanc non oriri inter Arrogatum, seu Adoptatum, & filiam illegitimum adoptantis.

VIII. Quæritur tertio; quodnam matrimonium inter consanguineos sit irritum jure naturæ, ita ut nec inter Infideles sit validum, nec possit Pontifex ad illud dispensare?

Respondeo, certum omnino esse, quod etiam matrimonium contractum ex dispensatione Pontificis inter Patrum, vel Avunculum, & Nepotem, sit validum; cum in dies Pontifex in eo dispensem: Dubium quidem solum est, an sit jure naturæ irritum matrimonium inter consanguineos in primo gradu linea rectæ, puta, inter Patrem, & filiam, inter Avum, & Nepotem, & inter consanguineos in primo gradu linea transversæ, puta, inter fratrem, & sororem? Et idem quæritur de affinis in primo gradu; Utrum scilicet Titius mortua Berta uxore possit valide contrahere matrimonium cum sorore Berta ex dispensatione Pontificis?

Circa matrimonium inter fratrem, & sororem esse jure naturæ irritum, & indispensabile, docent Vasq., Sanch., Rebel., Bonac. apud Dian. part. 8. tract. 9. resol. 70. Sed probabilius Hurt., Pont., Præposit., Perez apud euñdem negant; cum Deus voluerit genus humanum propagari per matrimonium inter fratres, & sorores, videlicet inter filios, & filias Adami, & Eve.

Neque dicas; Apud omnes gentes matrimonium inter fratrem, & sororem prohibetur; ergo jure naturæ est irritum.

Nam primo falsum esse antecedens, docet Dian. loc. citat., cum apud Ægyptios, & Athenienses permitte-

retur; immo apud Judeos olim illud permitti, videntur ostendere verba illa, quæ dixit Thamar filia David fratri suo Amon 2. Regum 13. Noli frater mi, noli opprimere me, vel facere scutitiam hanc, quin potius loquere ad Regem, qui non negabis me nibi. Secundo concessio antecedente negari potest consequentia; ex eo enim, quod prohibetur apud omnes gentes tale matrimonium, sequitur solum, quod ferat secum indecentiam, quæ sine gravissima necessitate non possit cohonestari; Sicut fert aliquam indecentiam, quod idem ducat successive duas sorores, quod Privignus ducat Novercam, aut Vitricus Privignum; quod matrimonium infidelium consummatum dissolvatur; quod habens votum simplex castitatis contrahat matrimonium; & tamen in his omnibus casibus Pontifex potest dispensare; ergo etiam in casu nolito. Quædam enim sunt prohibita jure naturali primario, verbi gratia, odium Dei, libido contra naturam, mendacium, &c., quæ nulla ratione cohonestari possunt; quædam vero sunt prohibita jure naturali secundario, verbi gratia, furtum, occidio innocentis, Polygamia, Dissolubilitas matrimonii, &c. quæ scilicet ex aliqua causa cohonestari possunt, ut diximus quæst. 3. art. 3. Quamvis enim homicidium, verbi gratia, sit contra naturam, tamen licite Abraham volebat occidere Isaac, & licite Iudex occidit reum; Eodem pacto discurrendum in casu nostro, videlicet matrimonium inter fratrem, & sororem esse contra ius naturæ secundarium, ita ut concurrente urgentissima causa, possit etiam Pontifex in eo dispensare; cum non sit id prohibitum Pontifici a Deo; Sicut prohibitum est in lege nova, quod possit Pontifex dispensare in Polygamia, aut in dissolutione matrimonii consummati inter fideles; ut con-

stat ex illo : *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

Notandum tamen, quod Pontifex requisitus ad dispensandum in matrimonio inter fratrem, & sororem, nunquam voluit dispensare ; ut notat Bonac. num. 12. ; Quod signum est, causam justam ad dispensandum debere esse gravissimam, quæ vix accidit.

IX. Ex hac doctrina infertur, quod possit etiam Pontifex ex urgentissima causa dispensare in matrimonio inter Avum, & Nepotem ; ut docet Sanch. lib. 7. disp. 51., Bonac., Dian. part. 8. tract. 1. resol. 69. contra Con. disp. 32. Ratio est, quia participatio sanguinis, quæ provenit a stipite, & transfunditur in descendentes, eo debilior est, quo pluribus per gradus communicatur ; consequenter, etiam si matrimonium inter consanguineos in primo gradu linea recta effet contra reverentiam Parentibus debitam, & jure naturæ irritum, non videtur tamen esse irritum in secundo, tertio, & aliis gradibus linea recta ; Quare inter infideles validum est matrimonium Berta cum suo Avo, Proavo, Abavo, necnon cum suo Nepote, Pronepote, & Abnepote ; & inter fideles etiam est validum extra quartum gradum linea recta, videlicet Berta cum suo Atavo, Tritavo, &c. si forte viverent.

Dices cum Con. In lege Nuptiæ 53. ff. de ritu nuptiar. dicitur, Jure Gentium (quo vocabulo Jurisconsulti appellant Jus naturæ) inter ascendentis in infinitum incestuosas nuptias contrahi, easque consistere non posse; quia scilicet omnes ascendentes dicuntur vere Parentes, seu genitores, & debetur iis naturaliter idem honor, qui debetur Patri, & Matri : Immo secundum recentissimam consuetudinem major honor debetur illis, tanquam veris, & altioribus principiis ; ut propterea apud omnes gen-

tes fuerint abominabilia hæc matrimonia non minus, quam Patris cum filia : Ex quo sequitur, quod si Adam resurgeret, invalide matrimonium cum quacumque contraheret.

Respondeo tamen ex Sanch. , falsum esse, quod jure gentium incestuosæ sint nuptiæ cum ascendentibus in linea recta ; sunt quidem indecentes, non secus ac inter fratrem, & sororem ; sed data urgentissima causa possunt cohonestari. Nec refert, quod jus civile illas prohibeat ; Nam filius juris Canonici est, stabilire impedimenta matrimonii inter fideles ; ita ut jus civile quoad hoc non liget fideles, nisi expresse jure canonico approbetur ; ut ostendit Sanch. lib. 7. disp. 3. At jus Canonicum irritat solum matrimonium inter consanguineos usque ad quartum gradum, non distinguens, an sit ascendentium, vel collateralium ; ergo matrimonium cum ascendentibus extra quartum gradum non est irritum. Ad id, quod additur, dico, Avum esse principium per accidens Nepotis, & potius est conditio applicans Patrem productivum filii, quam sit principium filii ; & ideo non debetur Avo illa naturalis reverentia, quæ debetur Patri, qui est principium per se : Solum reverentia politica major est respectu Avi, quam respectu Patris ; quia Avum, ut primum dominum, & primum in gubernando principium revereri debemus.

Eodem modo discurrendum de matrimonio inter affines in primo gradu; præsertim cum sciamus, quod Pontifex in multis casibus dispensarit, ut idem post matrimonium cum una sorore consummaum, illa mortua, dicceret secundam sororem ; necnon quod eadem foemina nuberet eodem modo duobus fratribus, ut videre est apud Dian. part. 8. tract. 1. resol 68.; ubi ostenditur ab omnibus pene Academ.

eademis Orbis Christiani approbatam suisse dispensationem Julii II., quod Henricus VIII. Rex Angliae nuberet Catharinæ filiæ Regis Hispaniarum. Vidua Principis de Galles fratri ejusdem Henrici. Verum quidem est, S. Joannem Baptistam dixisse Herodi Matth. 14. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui;* Sed id non licebat, vel quia Herodes habebat illam adhuc vivo fratre suo, ut exponit Hieronymus; vel, ut alii, quia contra legem Judaicam habebat talem uxorem; Nam Levit. 18: prohibebatur, fratrem copulari uxori fratris defuncti, quando frater reliquerat semen, ut acciderat in casu nostro.

X. Quarendum superest, non quidem ad proximam, sed ad profundam intelligentiam doctrinæ; An iure naturæ irritum sit matrimonium inter Patrem, & filiam, vel inter matrem, & filium; ita ut Pontifex in eo dispensare non possit, etiam in Orbe solus Pater, & filia essent superstites, & ipse Pontifex esset inhabilis ad generandum?

Respondeo, Perez disp. 38. sect. 3. docere, quod in tali casu nec Deus ipse posset dispensare, eo quod tale matrimonium sit intrinsece malum, non secus ac mendacium, & libido contra naturam. Verum quamvis communiter Doctores, & Juristi doceant, esse iure naturæ irritum tale matrimonium, ita ut Pontifex in eo dispensare non possit; multi tamen cum Pont., Henr., Filluc., Sanch. lib. 7. disp. 51., & aliis apud Dian. part. 8. tract. 1. resol. 71. docent, quod possit etiam ex urgentissima causa illud coherestari; sicut occisio innocentis co honestatur, accedente Dei precepto. Unde docent, in casu extremæ necessitatis propagandi genus humanum matrimonium inter Patrem, & filiam esse licitum; quia in

in tali casu potius prævaleret obligatio conservandi genus humanum, quam obligatio non contrahendi cum Parentibus, orta ex reverentia naturali illis debita. Nam damnum privatum irreverentia Paterne consurgens ex tali matrimonio debet cedere, & coherestari propter bonum commune conservationis speciei humanæ, quod est altioris ordinis.

Hinc fit, quod in tali casu Pontifex non dispensaret, sed solum declararet obligationem naturalem non contrahendi cum Parentibus cedere de facto alteri præstantiori obligationi naturali conservandi genus humanum; Sicut obligatio naturalis non occidenti innocentem cedit alteri præstantiori obligationi naturali obediendi precepto Dei, qui est Dominus vita innocentis: Contra vero in matrimonio inter fratrem, & sororem, ac inter Avum, & Nepotem, necon in primo gradu affinitatis potest absolute Pontifex dispensare; Nec si ea matrimonia inter Infideles contrahantur, sunt iure naturæ irrita, sed solum de facto sunt irrita iure positivo, in quo Pontifex Legislator potest dispense, ut ostendimus contra nonnullos.

ARTICULUS VII.

De Impedimento Affinitatis.

- I. *Quid sit Affinitas? Et quomodo Affinitas non pariat Affinitatem?*
- II. *Ea dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum, si oriatur ex copula licita; usque ad secundum vero, si ex fornicaria.*
- III. *Si matrimonium sit ratum, & non consummatum, contrahitur impedimentum publica honestatis usque ad quartum gradum, non vero affinitatis.*
- IV. *Probabilis non est iure naturæ irritum matrimonium inter Primum,*

gnum, & Novercam.
V. Affinitas matrimonio superveniens
quid ferat?

I. Impedimentum affinitatis impedimentum cognitionis anneximus propter connexionem, quam habent. Est autem Affinitas vinculum, seu propinquitas Personarum orta ex carnali copula licita, vel illicita; Si enim Titius cognoscit carnaliter Bertam, eo ipso fit affinis cum consanguineis Berta in eo gradu, in quo sunt cum Berta consanguinei; Verbi gratia, quia Soror Berta est illi consanguinea in primo gradu, ideo soror Berta fit affinis Titio in primo gradu; & quia consobrina Berta est illi consanguinea in secundo gradu, ideo fit Titio affinis in secundo gradu; Et idem dicas de Berta relate ad consanguineos Titii: Notandum tamen, quod consanguinei Titii cum consanguineis Berta nullam contrahant affinitatem; Verbi gratia, Frater Titii non fit affinis Sorori Berte, quia affinitas non parit affinitatem. Hinc duo fratres possunt ducere duas sorores, necnon Pater, & filius ducere possunt matrem, & filiam: Eodem modo Titius mortua Berta conjugi potest ducere in uxorem Teresiam cognatam Berte, seu que fuerat uxor fratri Berte.

II. Quæritur nunc primo; Usque ad quem gradum Affinitas sit impedimentum dirimens matrimonium?

Respondeo, ex copula licita hoc impedimentum dirimere matrimonium usque ad quartum gradum; ex copula vero fornicaria illicita dirimere usque ad secundum gradum. Unde Titius, mortua Berta uxore, nequit ducere ejus sororem, nec consobrinam, nec filiam consobrinæ, nec neptem consobrinæ, aut aliam consanguineam Berte in quarto gradu: Si tamen Titius cognoscat illicite Te-

resiam, nec ejus sororem, nec consobrinam ducere potest, nec aliam consanguineam Teresiam in secundo gradu.

III. Notandum tamen, affinitatem contrahi dumtaxat ex matrimonio consummato, non vero ex rato; quia affinitas oritur, ut diximus, ex copula, & quidem ex copula apta ad generationem, per quam conjuges sunt una caro, ex cap. Debitum 5. de Bigamis; Ex matrimonio autem rato solum oritur impedimentum publicæ honestatis dirimens etiam matrimonium usque ad quartum gradum.

IV. Dubium est; Jure Ecclesiastico, an jure naturæ affinitas dirimat matrimonium in primo gradu saltem lineæ rectæ? Diximus art. super., certum esse, quod affinitas jure solum Ecclesiastico dirimat matrimonium in primo gradu lineæ transversalis; cum certum sit contra haëreticos, potuisse Pontificem Julium II. dispensare, quod Henricus VIII. Rex Anglia duceret uxorem Catharinam, quæ fuerat uxor sui fratri; & Genes. 29. habemus, Jacob duas sorores duxisse, Liam, & Rachelem. Quare difficultas solum est, an jure naturæ affinitas dirimat matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, Verbi gratia, inter Privignum, & Novercam; sicut jure naturæ, ut diximus, consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimit matrimonium? Quamvis Valent., & Con. id afferant; probabiliorem tamen censeo sententiam negativam, quam defendunt Sanch. lib. 7. disp. 66: Henr., Bonac.; tum quia non appetit tanta indecentia in hoc, quod Privignus ducat Novercam, quanta in eo, quod filius ducat matrem in uxorem; tum etiam quia, ut notat Perez disp. 31. sect. 2., aliquando matrimonia Privigni cum Noverca celebrata sunt: Et Concilium Agatense can. 61 licet prohibeat matrimonium inter Privignum,

&

& Novercam ; simul tamen præcipit, ne hujusmodi matrimonia ante talem prohibitionem contracta dissolvantur ; quod evidenter demonstrat, talia matrimonia non esse jure naturæ irrita .

V. Quæritur secundo ; Quem effetum pariat affinitas superveniens matrimonio ; Verbi gratia, si Titius committat incestum cognoscendo sororem, vel consobrinam suæ uxoris ?

Respondeo , duplicem esse effectum talis incestus ; Primus est, quod Titius non possit petere debitum a sua uxore , antequam dispensetur, saltem a Mendicante privilegiato ; quamvis possit, & teneatur reddere debitum . Secundus est, quod mortua uxore, non possit aliam ducere , ex cap. 1. de eo , qui cognovit consanguineam ; quod si aliam ducat, non potest ab ea petere debitum : Quamvis hæc poena ex Sanch. lib. 7. disp. 17. non sit in usu .

ARTICULUS VIII.

De Impedimento Criminis,
& Raptus .

I. Crimen Homicidii , Adulterii , & Raptus matrimonium dirimunt .

II. Plura requiruntur, ut Homicidium pariat hunc effectum .

III. Quid requiritur, ut Adulterium dirimat Matrimonium ?

IV. Promissio facta a Tito famine de illa descendit post mortem sue uxoris est illicita simul , & invalida .

V. Rapius quid sit ? Et quando matrimonium dirimat ?

VI. Validum est matrimonium inter Raptorem , & Raptam, si ea volente, & invitis dumtaxat parentibus rapiatur .

I. Impedimentum Criminis est Ecclesiasticum ; unde apud Infideles matrimonium non dirimit . Cri-

men autem, quod inter fideles matrimonium dirimit , duplex est iure antiquo, videlicet Homicidium, & Adulterium, quibus jure novo ex Trident. additum est tertium , videlicet crimen Raptus .

II. Quæritur nunc primo ; Quænam conditiones requirantur, ut homicidium dirimat matrimonium ?

Respondeo cum Bonac. , & aliis communiter , ad hoc , ut matrimonium Titii, verbi gratia, cum Teresia sit invalidum, requiri primo, ut Titius occiderit Bertam suam uxorem , vel per se, vel per alium : (& eadem est ratio , si Berta occiderit suum maritum , ut invalide cum alio contrahat) Secundo, ut tam vir, scilicet Titius, quam foemina, videlicet Teresia , qui matrimonium contrahunt, conspiraverint in mortem primæ uxoris, puta Bertia ; unde si solus Titius, vel sola Teresia machinata sit mortem Bertia , matrimonium non dirimitur , nisi quando cum homicidio simul intercessit adulterium . Tertio , ut machinatio mortis Bertia facta sit ad eum finem , quod contrahatur matrimonium cum Teresia . Addit Perez , & Vasq. quod quando committitur ab his homicidium cum intentione contrahendi matrimonium, talis intentio debeat manifestari exteriori, ut talem poenam inducat . Ratio est, quia cum Ecclesia non judicit de internis, non apponit impedimenta matrimonii propter solos actus internos .

III. Quæritur secundo ; In quibus casibus adulterium dirimat matrimonium ?

Respondeo, dirimere matrimonium primo, quando præter adulterium intervenit homicidium alterius conjugis commissum ad hunc finem, ut inter adulterios matrimonium contrahatur, ut modo diximus . Secundo, quando præter adulterium intercedit, seu potius

ius intentatur matrimonium inter adulteros, vivente conjuge alterius; requiritur tamen, ut uterque conscient sit, quod copula, quam habent, sit adulterium, eo quod conjux alterius sit superstes. Tertio, quando praeter adulterium intervenit promissio matrimonii inter adulteros, sive promissio facta sit ante, sive ab uno tantum adultero, sive ab utroque, ut docent communiter contra Henr.; dummodo promissio non fuerit facta, ut docet Bonac. contra Sanch., & fuerit acceptata.

IV. Norandum tamen, quod si Titius promittat Teresiæ matrimonium contrahendum post mortem Bertæ suæ uxoris, peccat tam Titius promittens, quam Teresia acceptans, ut docent communiter cum Sanch. ex cap. final. de eo, qui duxit in matrimonium. Ratio est, quia daretur ansa captandæ mortis Bertæ; immo talis promissio non solum est illicta, sed etiam invalida, ex Sanch., & Bonac.; cum jus tali promissioni resistat, ex leg. final. ff. de Pactis.

V. Quæritur tertio; Quid sit Raptus, & quando dirimat matrimonium?

Respondeo, Raptum esse proprie, quando Persona aliqua per vim de loco in locum adducitur, ut Raptor illam habeat in sua potestate: In hoc enim Rapina distinguitur a furto, quod per Rapinam inferatur vis aut Domino, aut illi, cui res, quæ surripitur a Domino, commissa est; secus vero per furtum: Quare si Titius rapuit hoc pacto Bertam, ipsa repugnante, vel causa matrimonii, vel saltem (ut docet Sanch., & Sa contra Perez) causa libidinis, matrimonium cum illa est invalidum, donec Berta extra Titii potestatem adducta, ac loco tutto, & libero restituta, plene liberè in illud consentiat; tunc enim valide contrahunt, ex Tridentino less. 24. cap. 6.: Ubi additur, quod Raptor

Pars VII.

debeat illam dorare arbitrio Judicis, sive eam ducat, sive non; & tam Raptor, quam præbentes illi auxilium, aut favorem ipso jure sint excommunicati, & perpetuo infames, ac omnium dignitatum incapaces. Omnes tamen hujusmodi penæ requirunt sententiam Judicis, ut incurvantur; prout docent communius cum Sanch. disp. 13., praeter excommunicationem, quæ incurritur ipso facto.

VI. Quæritur ultimo; An si fœmina rapiatur ipsa volente, sed parentibus invitatis, matrimonium dirimatur?

Respondeo cum Sanch. loc. cit., Hurt., Con. contra nonnullos, matrimonium inter Raptorem, & sic raptam non esse irritum; quia Trident. suo decreto constituerit hoc impedimentum voluit tantum consulere libertati matrimonii, ad quam solius fœminæ liber consensus requiritur.

ARTICULUS IX.

De Impedimento disparitatis Cultus.

- I. Matrimonium fidelis cum non baptizato est irritum; cum hereticis tandem est illicitum: esto consuetudine in multis locis permittatur, si non sit periculum perversio; nec patrum ineatur, quod aliqui ex filiis heresi adhærent.
- II. Si alter ex conjugibus Infidelibus ad fidem convertatur, dissolvitur vinculum conjugale, si nolit alter sine injuria Creatoris cohabitare, aut si simpliciter cohabitare nolit.
- III. Si tamen velic cohabitare pacifice, probabilius tenetur fidelis discedere quoad eorum.
- IV. Horum filii, si careant usu rationis, conjugem fidelem sequi debent; si vero sunt prædiui usu rationis, liberum est illis sequi parentem, quem malunt. Quod si de rationis usu dubi-

S dubi-

dubitetur; adhuc debent fidelem parentem sequi.

I. **R**itam est jure Ecclesiastico matrimonium baptizati cum non baptizato: Contra vero matrimonium catholici cum hæretico, vel cum Apostata, vel cum excommunicato est solum illicitum propter periculum perversionis, & ob malam prolis educationem, &c. Ubi tamen consuetudine universalis cognita, & tolerata a Pontifice receptum est, ut permixtum Catholici cum hæreticis matrimonium contrahant, (ut accidit in multis Germaniæ, Galliæ, & Poloniæ locis) videtur cum Sanch. disp. 62. Perez, Tambur. lib. 2. Decalogi cap. 1. §. 5., id licitum esse, cessante periculo perversionis; quia usus in contrarium potuit legem hanc Ecclesiasticam abrogare: Illicita tamen, & irrita essent pacta, quod aliqui tantum ex filiis nascituris adhærent fidei catholice, alii vero adhærent hæresi; sunt enim hæc pacta contra jus divinum, quod postulat, ut Parentes prebeat remedia ad salutem filiis usi rationis carentibus.

II. Quæritur nunc primo; Utrum conjuges infideles non baptizati, si ad fidem convertantur, sint separandi?

Respondeo, si uterque ad fidem convertatur, perseverare debent in suo matrimonio, si valide sit illud contratum. Et ratio est, quia matrimonium Infidelium est verum matrimonium, nec est ratio, cur dissolvatur, quando uterque ad fidem convertitur: (An autem, & quando tale matrimonium evadat Sacramentum? diximus quæst. 3. art. 1.) Si vero alter tantum conjugum Infidelium ad fidem convertatur, in eodem etiam matrimonio permanere debent, nisi detur causa, propter quam dissolvi possit; Est autem duplex causa illud dissolvendi, ex cap.

Gaudemus, de divortiis. Prima, si infidelis non vult habitare cum fidelis; Secunda, si volens habitare, non vult habitare nisi cum injuria Creatoris, (scilicet audiendo nomen Dei, aut Christi cum despectu, illud blasphemando, & retrahendo familiam ab ejus cultu, aut pertrahendo conjugem fidelem ad peccatum) in his enim casibus potest baptizatus suum conjugem deserere, & novum matrimonium inire: Quod deducitur ex 1 ad Corinth. 7., ubi dicitur: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & has consentit habitare cum illo, non dimittat illam; quod si Infidelis discedit, discedat, videlicet dissolvendo vinculum matrimoniale, ut constat ex verbis sequentibus: Non enim servitui subjectus est frater, aut soror in bimundi; Idque etiam videntur docere versiculi illi relati in Glossa cap. 4. de divortiis.*

*Desere spernentem, & blasphemare volentem,
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem;
Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.*

III. Quæritur secundo; Si infidelis nollet ad fidem converti, velle tamen cum conjuge fidei habitare pacifice, & sine injuria Creatoris, Num posse fidelis aut cum alio matrimonium contrahere, aut saltē divertere quoad torum?

Respondeo, multos apud Sanch. lib. 7. disput. 73. docere, primis sex scelulis nascientis Ecclesiæ, quando multi infideles ad fidem convertebantur, consilium fuisse, fidelem conjugem permanere cum infideli, quamdiu erat spes conversionis; liberum tamen fuisse discedere solum quoad torum, non quoad vinculum; Deinde vero, quia raro admodum Infideles convertuntur, teneri fidelem discedere quoad torum, si Infidelis ab Episcopo mo-

nitus nolit statim converti, ex Conc. Tolet., nisi magnum scandalum ex subito discessu oriatur; sicut nunc oritur in India, Japonia, &c. si coegerentur conjuges fideles statim separari ab Infidelibus: Alii tamen cum Sot. apud Con. docent, in tali casu licet esse conjugi fideli discedere ab infidelis, etiam quoad vinculum, atque adeo posse cum alio matrimonium contrahere: Prior tamen sententia videtur probabilior, & conformior locutioni Apostoli.

IV. Ubi notandum, quod in tali casu filii istorum conjugum, si careant usu rationis, sequi debent conjugem fidelem; si vero habeant usum rationis, relinquendi sunt in propria libertate; si demum dubitetur, an habeant usum rationis, presumendum est in favorem fidei, quod non habeant, atque adeo sequi debeant conjugem fidelem.

ARTICULUS X.

De reliquis Impedimentis dirimenti-
bus, præsertim Publicæ Hon-
estatis, & Impotentia.

- I. Excommunicantur Domini tempora-
les, & Magistratus, qui directe,
vel indirecte cogunt alios, ne libe-
re matrimonium contrahant.
- II. Etiam inter Infideles illicita est Po-
lygania; Qui autem plures uxores
habet, si ad fidem convertatur,
primam dumtaxat retinere debet,
si velit hec ad fidem converti; Quod
si nolit, non tenetur ille alias du-
cere, quamvis vellent converti.
- III. Ut possit aliquis ad secundas nu-
ptias transire, non sufficit probabi-
litas, sed requiritur moralis certi-
tudo de morte prioris conjugis.
- IV. Sponsalia invalida non parunt im-
pedimentum publica honestatis, et
iam si sunt invalida ex defectu con-

- sensus; secus vero matrimonium ra-
tum.
- V. Quid sit Impotentia? Et quotplex?
 - VI. Num impotentia perpetua dirimat
matrimonium in ordine ad casu,
ac socialiter vivendum?
 - VII. Quid si dubitetur. Num impoten-
tia anteceperit matrimonium, an
subsequuta fuerit?
 - VIII. Et quid si dubitetur, num sit per-
petua, an temporalis?
 - IX. Num senes capulares valide matri-
monium contrahant? Quid de Eu-
nucho, de Maleficiato, ac de Her-
maphrodito?
 - X. Aetas ad matrimonium requisita que-
nam sit?

I. **V**Is, seu metus fert impedimen-
tum dirimens matrimonium;
de eo tamen abunde diximus, cum de
consensu coacto, quæst. 4. art. 2. Hic
dumtaxat addimus, a Trident. sess.
24. cap. 9. excommunicari Dominos
temporales, & magistratus, qui quo-
vis modo directe, vel indirecte sub-
ditos, vel alios cogunt, quominus li-
bere matrimonium contrahant.

De impedimento Ordinis egimus
art. 4. hujus quæst., postquam egi-
mus de impedimento Voti.

II. Progradimur itaque ad impedi-
mentum ligaminis, quo nomine intel-
ligitur prioris conjugii etiam rati vin-
culum, quo durante sequens matrimo-
nium etiam consummatum dirimitur
jure non solum Ecclesiastico, sed et-
iam naturali, & divino; Nam res uni
tradita non potest amplius alteri tra-
di; & Matth. 19. dicitur: *Quicumque
dimiserit uxorem suam, & aliam du-
ixerit, mactatur.* In lege veteri dispen-
savit Deus in pluralitate uxoruim; hæc
tamen dispensatio a Christo Domino
fuit revocata; Cum autem omnes ho-
mines, etiam infideles, Christo Domi-
no subjiciantur, sequitur, quod etiam
inter infideles illicita nunc sit Polyga-
mia;

mia; ut diximus quest. 3. art. 3. Quare si Titius infidelis plures uxores duxerit, & deinde convertatur ad fidem, solum cum prima tenetur permanere, si illa sine injuria Creatoris voluerit cohabitare; Secus vero neque cum illa tenetur permanere, neque cum aliis, etiam si aliae ad fidem convertantur; quia revera non sunt uxores; unde posset aut cum earum aliqua, aut cum alia matrimonium contrahere.

III. Quæritur nunc; Quanta certitudo de morte conjugis requiratur, ut possit quis licite cum alio matrimonium contrahere?

Respondeo, non satis esse probabilitatem de illius morte, sed requiri certitudinem moralem, quæ habetur vel per certum nuncium, vel per testes; aliter contrahens exponit se periculo adulterii.

Sequitur hinc primo, quod testimonium unius testis non sit sufficiens; tum quia in *lege Jurisjurandi*, *Cod. de Testibus* dicitur: *Vox unius Vox nullius*; tum etiam quia unus testis non dicitur esse nuncius certus: Excipe tamen, quando testis esset valde gravis, & aliae probationes haberi non possent, & verosimile esset, quod assertur.

Sequitur secundo, nec sufficere solam famam de tali morte; tum quia sola fama æquivalet uni testi; tum etiam quia fama saepè oritur ab auctore incerto, & plerumque fallaci: Satis tamen esset fama, si aliis administris juvaretur, ita ut moraliter certain probationem faceret; quod ad Judicem spectat examinare.

IV. Circa impedimentum Publicæ honestatis abunde diximus art. 7. quest. 1. de Sponsal. Hic solum advero, dubium esse, An matrimonium ratum invalidum, sed non ex defectu consensus, inducat hoc impedimentum? Negat *Navar.*, & *Sà*; quia *Trident.*

sell. 24. cap. 3. expresse docet, interpedimentum hoc non oriri ex Sponsalibus quacumque ratione invalidum; ergo neque ex matrimonio rato invalido; cum eadem videatur ratio in utroque casu. Sed communius cum Bonac. quest. 3. punct. 11. affirmant. Ratio est, quia quamvis jure antiquam Sponsalia, quam matrimonium ratum parerent hoc impedimentum, etiam si essent invalida, dummodo non invalida ex defectu consensus; tamen jure novo Tridentini solum decernitur, quod Sponsalia, quacumque ratione invalida, hoc impedimentum non pariant; ergo circa matrimonium ratum remanet fixum jus antiquum, quod scilicet pariat impedimentum, etiam si invalidum, dummodo non ex defectu consensus.

V. Agendum superest de Impedimento Impotentia; Circa quam dicimus, quæ honeste tantum exponi possunt; reliqua fuse reperiantur apud *Sanch.*, qui lib. 7. hanc materiam vingtí septem disputationibus complectitur.

Notandum itaque primo, Impotentia dicuntur hic dici, qui non possunt habere talēm copulam, ex qua fiat una caro ex duobus per utriusque feminis commixtionem, ex qua possit una caro proliis prodire; sive talis impotenta proveniat ex constitutione corporis, sive ex frigiditate, sive ex arctitudine foeminae, sive ex maleficio.

Notandum secundo, Impotentiam hanc aliam dici perpetuam, aliam temporalem: Est perpetua, quæ nulla arte humana absque miraculo, vel maleficio, vel absque periculo vita, aut gravis, & perpetui morbi removenti potest, ex cap. *Fraternitatis*, de *Frigidis* apud *Perez* disp. 37. Est vero temporalis, quando naturaliter, vel consuetis Ecclesiæ remediis contra maleficium, & sine illo periculo auferri potest. Præterea impotencia hæc alia est

est naturalis, quæ a natura provenit, alia artificialis, videlicet ab arte dæmonis; Alia est absoluta, & respectu omnium, scilicet quam habent Eunuchi, & senes omnino exhausti, qui nulla arte medica juvari possunt ad copulam habendam; Alia demum est potentia respectiva, puta relate ad talem feminam arctam. His explicatis.

VI. Quæritur; Quænam impotencia dirimat matrimonium, & quo jure? Respondeo, Impotentiam perpetuam dirimere matrimonium contrahendum, non vero contractum, si illius superveniat; Impotentiam vero temporalem matrimonium non dirimere. Ita communiter ex cap. Fraternitatis, & ex cap. *Quod sedem*, de Frigidis, & maleficiariis, contra nonnullos apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 75., qui cum Pont., Medin., Veracrus, & aliis docent, impotentiam perpetuam non dirimere matrimonia, quæ contrahuntur in ordine ad caste in societate vivendum, & sine ullo ordine ad copulam. Ratio communis doctrinæ est, quia nemo potest transferre in alterum dominium rei, quam nullo modo habet; ergo nemo potest contrahe-re matrimonium, & per illud transferre alteri jus mutuum ad usum corporis, si habeat perpetuam impotentiam ad copulam. Ex quo patet, tale impedimentum non solum jure Ecclesiastico, ex cap. *Quod sedem* citato, sed etiam jure naturæ matrimonium dirimere; ita ut qui habet impotentiam perpetuam absolutam, invalide contrahat cum quacunque; qui vero habet impotentiam perpetuam respectivam, vel ex causa naturali, vel ex maleficio, &c. invalide contrahat cum ea, relate ad quam habet talem impotentiam. Dixi deinde, quod si hæc impotentia superveniat matrimonio, illud non dissolvat; cum matrimonium ex Christi institutione sit indissolubile. Quare in tali casu conjuges pos-

sent petere, ac reddere debitum, non secus ac senes, ut notat Perez disp. 37. sect. 10.

VII. Rogabis primo; Quid faciendum, si dubitetur, Num impotentia perpetua orta, verbi gratia, ex maleficio antecelerit matrimonium, an illud consecuta sit?

Respondeo, Sanch. lib. 7. disp. 103. cum aliis putare, presumendum, quod maleficium fuerit factum post matrimonium; quia in dubio judicandum est in favorem matrimonii. Verum Bonac. quest. 3. punct. 13 cum Rebel., Sà, & aliis censet, presumendum esse, quod maleficium antecelerit matrimonium: Tunc enim solum in dubio judicandum est in favorem matrimonii, quando matrimonium sortiri potest suum effectum, videlicet prolis procreationem, vel fugam fornicationis; At in casu nostro matrimonium sortiri nequit effectum suum; ergo in dubio non est judicandum in favorem matrimonii, sed in favorem libertatis. Si tamen dubium esset, an impotentia perpetua sit vera? in tali casu, quando adhibita diligentia remanet dubium, judicandum esset in favorem matrimonii, quod scilicet non sit vera impotentia; tum quia matrimonium stat in possessione; tum etiam quia quilibet presumitur potens, donec probetur oppositum, eo quod potentia ad copulam sit naturalis.

VIII. Rogabis secundo; Quid faciendum, si dubitetur, num impotencia sit perpetua, an temporalis?

Respondeo, permitti conjugibus simul habitare, & experiri per triennium; quo elapsò, si nequeant habere copulam, ex qua fiat una caro, judicandum, impotentiam illam esse perpetuam, & matrimonium fuisse invalidum; Unde uterque potest ad secundas nuptias transire, si cum alio conjuge talem impotentiam non habeat.

beat. Quod si successu temporis deprehendatur, impotentiam illam non fuisse veram, & Judicem errasse in illis separandis, iterum conjungendi sunt; eo quod primum matrimonium revera fuit validum, & consequenter secundæ nuptiæ invalidæ. Eadem est ratio, si alter Sacros Ordines suscepit, aut professionem fecerit religiosam; tenetur enim ad conjugem redire, si matrimonium fuit consummatum; Si vero tantum fuit ratum, non tenetur redire post professionem, cum per illam matrimonium ratum dissolvatur.

Sequitur ex dictis primo, validum esse matrimonium contractum cum foemina arcta; quia hoc non censetur esse impedimentum perpetuum, quod humana arte tolli non possit. Quare tenetur hujusmodi foemina pati incisionem, etiam cum gravi dolore, quamvis non cum periculo vitae, aut gravissimæ infirmitatis.

Sequitur secundo, validum esse matrimonium contractum cum foemina, quæ seminare non potest; quia adhuc cum illa exerceri potest copula, ex qua fiat una caro prolis; eo quod semen foemineum non censetur necessarium ad generationem, juxta sententiam communiorum. Ita Sanch. disp. 92. Henr. Bonac.

IX. Sequitur tertio, validum esse matrimonium contractum inter steriles, quia inter istos intercedit vera copula apta ex natura sua ad generationem: Contra vero invalidum est matrimonium contractum cum senecte omnino impotente ad habendam copulam; ut communiter docent cum Sanch. loc. cit., Bonac., & aliis: Quod tamen negat Henr. lib. 12. cap. 7. putans esse validum, eo quod senex semper retineat potentiam suam seminandi, quamvis per accidens ratione senectutis impediatur; nec probari potest, ejus potentiam esse im-

medicabiliter exhaustam; Unde Ecclesia nunquam ratione senectutis impedit matrimonia; & David 3. Regum 1. duxit Abisac adolescentulam Sunamitidem, solum ut ab illa in senectute caleficeret.

Sequitur ultimo, invalidum esse matrimonium contractum cum Eunicho utroque teste carente, seu cum Spadone, qui semen prolificum emittere non potest, juxta Bullam Sixti V. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 1. Et eadem est ratio de maleficis, si maleficis impedimentum sit perpetuum: Quando enim ex maleficio consurgit tanta frigiditas, quanta est frigiditas naturalis, ex qua provenit impotentia perpetua, tunc certe impotentia illa orta ex maleficio eodem modo dirimit matrimonium, ac frigiditas naturalis; Idque verum est, etiamsi maleficium tolli possit per aliud maleficium; dummodo tolli non possit orationibus, & consuetis Ecclesiæ exorcismis: Et ratio est, quia quod licite tolli non potest, dicunt non posse simpliciter tolli. Hermaphroditi denum valide contrahunt juxta sexum præalentem, non vero circa inferiorem. Quod si uterque sit æqualis, datur optio, ut elegant, quem malint, & illi semper stare debent, ut videre est apud Perez filii disp. 37. sect. 14. ubi docet, quod si vir, aut foemina mutet sexum, matrimonium consummatum irritetur; matrimonium quippe debet esse inter unum, & unam. Et similiter si Sacerdos mutaret sexum, consecrare non posset, quamvis characterem retinet.

X. Præter hæc quatuordecim impedimenta iis versibus comprehensa, est pariter impedimentum dirimens defectus consensus, ut pater; necnon defectus ætatis requisita jure Ecclesiastico. In maribus enim requiritur annus decimus quartus completus, &

in sc̄minis duodecimus, nisi malitia suppleat etatem; hoc est nisi antecedenter sint doli capaces, & simul apti ad copulam judicio prudentium.

ARTICULUS XI.

De Impedimentis impedientibus.

I. Recensentur impedimenta impedientia.

II. Tria dumtaxat sunt in usu; Ecclesia vetitum, Sponsalia, Votum.

III. Quid veniat nomine Interdicti?

Quid nomine Temporis feriarum?

Quid nomine Catechismi?

IV. Ad quid tenetur, qui emisso voto, sive castitatis, sive religionis, matrimonium contrahit?

V. Num sit licitum matrimonium habenti votum castitatis, si detur mutua obligatio non petendi debitum?

VI. Num habens votum castitatis possit aliquando petere debitum a coniuge?

VII. Illicitum est contrahere matrimonium cum habente votum castitatis; nisi hic illud offerat.

VIII. Habens votum castitatis nequit uxorem ducere ad sedandas urgentes tentationes.

IX. Etiam Episcopus in impedimentis impedientibus dispensare potest, excepto Voto, & Sponsalibus.

I. **D**iximus, impedimenta impedientia (quae scilicet impedunt licitam Sacramenti matrimonij susceptionem sub mortali, & sub pena excommunicationis) esse hæc, quæ sequuntur.

Primum est Ecclesiæ vetitum; secundum tempus feriarum; Tertium Catechismus; Quartum Sponsalia cum alio contracta; Quintum votum simplex, sive castitatis, sive religionis, sive non nubendi; Sextum Crimen, videlicet primo Incestus cum con-

sanguinea conjugis in primo, vel secundo gradu, (qui impedit matrimonium cum quacunque persona, ut notat Perez) necnon incestus cum propria matre, seu filia; Secundo Raptus alienæ Sponsæ; Tertio Uxoricidium; Quarto suscep̄tio propriæ prolis in baptismo ad impediendam redditionem debiti; Quinto Presbytericidium; Sexto publica pœnitentia, quamdiu durat; Septimo matrimonium cum moniali. Præterea impedit matrimonium omissione proclamationum, & benedictionis; Necnon Clandestinitas, ubi non est receptum Trident. juxta ea, quæ diximus quest. 4. art. 3.

II. Ex his impedimentis sublatum jam esse per non usum Criminis impedimentum, docent Sanch. lib. 7. disp. 17., Ledesma, Laym., & alii. Communiter enim obstricti talibus impedimentis solent matrimonium contrahere absque dispensatione, nec transgressores puniuntur. Unde docet Reginal. apud Bonac., quod si alicubi ea lex per non usum abrogata non esset, peccaret graviter, qui cum tali impedimento matrimonium contraheret. Præterea impedimentum Catechismi sublatum esse per Tridentinum, communiter Doctores docent. Quare tria remanent præcipua Impedimenta impedientia, nimis Vota, Sponsalia, & Interdictum, seu prohibitus Ecclesiæ, quæ prohibet etiam nuptiarum solemnitates tempore feriarum, ut mox explicabimus.

III. Quæritur nunc primo; Quid fit interdictum, seu Ecclesiæ vetitum, quatenus est impedimentum impediens?

Respondeo, nomine Interdicti non venire hic censuram; quinimmo probabiliter tempore interdicti alicuius Civitatis potest etiam a persona specialiter interdicta matrimonium contrahi; quamvis benedictio solemnis nuptialis nonnisi in solemnitatibus exceptis

ceptis fieri debeat: Quare nomine Interdicti venit hic prohibitio Episcopi, vel Parochi, aut alterius Ecclesiastici Judicis interdicentis alicui, ne matrimonium contrahat, donec aliqua causa, vel impedimentum examinetur.

Quæritur secundo; Quid veniat nomine Temporis feriarum?

Respondeo, intelligi, quod ab Ecclesia prohibeantur sub gravi solemnitates nuptiarum (videlicet benedictio nuptialis, solemnis Sponsæ in domum Sponsi traductio cum conviviis, musica, &c.) a primo die Adventus usque in diem Epiphanie, & a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ, ex Trident. fest. 24. cap. 10. Ubi notat Busemb., & Perez, non prohiberi his temporibus matrimonium contrahere, immo nec consummare; cum Tridentinum hortetur solum ad præmittendam consummationi matrimonii benedictionem nuptialem; sed tantum prohiberi solemnitates matrimoniorum. Docet quidem Bonac., petendam esse ab Ordinario licentiam contrahendi Sponsalia, & matrimonia sine solemnitate dictis temporibus: Verum Con., Perez, & alii id negant; quia nec Tridentinum, nec jus antiquum ea prohibet; cum in *cap. Cappellanus*, *de feriis* dicatur, posse omni tempore matrimonium celebrari, consuetudine Ecclesiæ id attestante. Quod si alicubi esset consuetudo in contrarium, in iis locis petenda esset ab Ordinario licentia contrahendi matrimonia dictis temporibus, eo quod consuetudo, non vero Tridentinum in iis locis talem legem tulerit, ut idem Perez advertit.

Quæritur tertio; Quid sit Catechismus?

Respondeo; Idem sonat Catechismus, ac Instructio de rebus fidei; hoc autem nomine venit in impedimentum, quod contrahitur ab eo, qui respondet pro infante, quando supplen-

tur in Ecclesia ceremonia post baptismum collatum in necessitate; Sicut enim Patrini baptismi contrahunt cognationem spiritualem, qua est impedimentum dirimens; ita Patrini Catechismi, seu qui respondent pro infantibus, quando interrogantur, An credant, an renuncient Diabolo, &c. contrahunt aliam cognitionem spiritualem imperfectam, qua est impedimentum impediens. Verum hoc impedimentum sublatum est vel a Tridentino, ut docent Sanch., Fillie, Fagund., vel a consuetudine, ut docent Perez, Bonac., & alii.

IV. Quæritur quarto; Qui emulo voto castitatis, vel celibatus matrimonium illicite contrahit, ad quid tenetur?

Respondeo; si votum sit non contrahendi matrimonium, peccat quidem contrahendo illud, sed potest licere petere, ac reddere debitum; mortua tamen uxore, tenetur abstinere a matribus. Si vero votum sit Religionis, tenetur votum implere ante consummationem matrimonii; peccatque consummando, etiamsi reddat debitum; quia sic efficit sibi votum impossibile, ut servetur: Consummato tamen simul matrimonio, licite deinde peti, ac reddit debitum; quia votum, tamquam impossibile, manet suspensum, donec Uxor moriatur, aut adulteretur, aut consentiat, ut legitime maritus Religionem ingrediatur. Si demum votum sit castitatis, nunquam potest debitum petere ante dispensationem; potest tamen reddere, etiam prima vice; quia uxor habet ad id jus, nec maritus tenetur ad servandum votum castitatis ingredi Religionem; cum hoc sit medium nimis durum, ut constat ex Extravag. Antiquæ, *Joannis 22. de Voto* apud Conink.

V. Notandum hic primo cum Perez, quod si quis habens votum castitatis contrahat matrimonium cum mul-

mutua obligatione servandi castitatem, quin se exponat periculo violandi votum, non peccat contrahendo; sicut non peccavit B. Virgo; secus vero peccat.

VI. Notandum secundo cum Sanchib. 9. disp. 7., quod habens votum castitatis, (sicut etiam qui post matrimonium contraxit illicitam affinitatem cum Uxore) quamvis non possit petere debitum ante dispensationem, potest tamen nonnunquam insinuare se conjugi, & offerre se ad usum conjugalem, immo petere ab eo debitum; non tamen in gratiam sui, sed gratia complacendi conjugi, & ne reddat illi matrimonium grave, & onerosum; sicut esset, si semper alter petere cogeretur. Ratio est, quia hoc genus petendi est quodammodo reddere; cum in gratiam solius conjugis fiat.

VII. Quæritur quinto; An possit Berta licite matrimonium contrahere cum Titio habente aliquod ex dictis votis?

Respondeo cum Con. disp. 30. dub. 3., & Perez negative. Ratio est, quia res uni promissa potest quidem alteri valide tradi, sed illicite traditur; & si sponte offeratur, illicite acceptatur; Etenim acceptans per acceptationem usurpat sibi rem alteri obligatam, & illi eam subtrahit; unde indirecte injuriam infert illi, cui est obligata: Secus accedit, si Berta contrahat matrimonium cum Titio, cui prohibita sunt nuptiae; quamvis enim peccet Titius offerendo matrimonium, non peccat tamen Berta illud acceptando: Sicut non peccat, qui acceptat legata a Beneficiariis, quamvis isti mortifere peccent disponendo de proventibus Ecclesiasticis ad usus profanos, ut notat Leib. Et ratio a priori est, quia Berta non tenetur impedire matrimonium, quod illicite offert Titius, nisi

Pars VII.

ex correctione fraterna, qua tene-
mur proximi peccatum impedire;
hæc tamen non obligat cum magno
incommmodo; quale esset Berta, val-
de commodas nuptias rejicere.

VIII. Quaritur sexto; An habens votum castitatis possit aliquando lice-
te matrimonium contrahere sine dis-
pensatione; eo quod, verbi gratia,
fentiat urgentes tentationes, & diffi-
cultates, quas si prævidisset, castita-
tem non vovisset?

Respondeo cum Con. disp. 30. dub.
3., Perez, & aliis communiter negative.
Ratio est, quia vovens castitatem uni-
versim ea animi alacritate vovet, ut
velit tentationes omnes superare, si
occurrant; unde non potest præsumi
prudenter, quod hunc casum excipiat:
Sicuti qui vovet, verbi gratia, pere-
grinationem in pervigilio B. Virginis,
non excusat ab illa per hoc, quod
dies sit pluvius; quamvis facilius id
voverit, quod crederet, tempus esse
serenum, aliter id forte non voturus.
Adde, quod in manu voventis est,
superare difficultates omnes in servan-
da continentia, vitando occasiones,
& otium, & exercendo se in jejuniis,
orationibus, & eleemosynis.

Verum quidem est, quod sicut di-
ximus de promittente Sponsalia, ita
quilibet promittens quodcumque, si
ve homini, sive Deo, censetur exciper-
re illum casum, quem communiter
omnes cordati, qui sunt ejus condi-
tionis, prævisum omnino exciperent.
Sed negatur, hujusmodi esse casum no-
strum; siquidem cordati communiter
non retrahuntur a Voto castitatis,
quod concipiunt, per hoc, quod præ-
videant tentationes graves insurrec-
tas. Adde, quod, ut quis liberetur a
promissione facta homini, non suffi-
cit omnis talis difficultas de novo oc-
currens, quæ si fuisset prævisa, deter-
ruisset a promittendo; sed requiritur
talis difficultas, quam promissarius

T non

non potest tollere, & quæ prævisa communiter cordatum quemcumque, ut diximus, a promittendo averteret; atqui in casu nostro non solum non avertit cordatos a vovenda castitate difficultas tentationum prævisa, sed etiam talis difficultas a Deo Promissario tolli potest; & de facto tollitur, si orationibus, & jejuniis illa ab eo petatur; ergo in casu nostro tenetur vovens adimplere votum, nec potest licite matrimonium sine dispensatione contrahere: Urgentes autem tentationes, ac difficultates insurgentes possunt quidem esse justa causa petendi, & obtinendi a Pontifice dispensationem in voto; non possunt tamen esse causa justa, ut voti obligatio tol-

latur.

IX. Quæritur ultimo; Quinam posse in impedimentis impedientibus dispensare?

Respondeo, præter Pontificem, posse etiam Episcopum: Excipiuntur ratiū non solum vota castitatis, & religionis, sed etiam impedimentum Sponsalium; quod pariter a solo Pontifice dispensari potest, ex cap. Litteris, 2. de Sponsal. Et ratio est, quia cum per Sponsalia acquiratur jus Tertio, nullus, præter supremum Principem, potest tale jus auferre; & idcirco Doctores docent, non posse ab Episcopo relaxari juramentum Tertio præstitum, ut notat Perez disp. 33. sect. 8., & Sanch. lib. 7. disp. 17.

Q U A E S T I O VI.

De Dispensatione in Impedimentis matrimonii dirimentibus.

Examinandum primo; Quinam possit in iis dispensare? Secundo; Quam causa requiratur ad licitam dispensationem? Tertio; Quandonam dispensatio est surreptitia, & nulla?

ARTICULUS I.

Quinam possit in matrimonii impedimentis dispensare?

- I. Quid interest inter legis Dispensationem, Irritationem, Abrogationem, Derogationem, & Interpretationem?
- II. Privilegium a dispensatione, & a licentia, in quo differant?
- III. Dispensatio in lege Superioris est invalida, si fiat sine causa, sicut etiam interpretatio in lege Divina, pura in voto, aut juramento, etiamsi fiat a Pontifice.
- IV. Dispensatio stricte est interpretanda; secus vero Privilegium, & Pote-

stas dispensandi universem; non item si talis potestas respiciat particulares personas.

V. In impedimentis jure divino dirimentibus Papa dispensare non potest; nisi ea dirimant jure naturali secundario, ut sunt votum, & Sponsalia, ac matrimonium ratum.

VI. Num possit Pontifex dispensare, & Sacrificium fiat sub una tamquam specie? Num etiam quod Episcopus non residat?

VII. Potest Pontifex dispensare inde matrimonii, legiimando problem relate ad effectus canonicos, non relate ad civiles.

VIII. Episcopus potest ex causa urgente

tissima pro foro conscientiae dispensare in aliquo impedimento occulto dirimente, etiam ante contratum matrimonium.

IX. Num id licet aliquando Religiosis ex privilegio?

I. Reremitto primo, dispensationem esse Juris alicujus relaxationem, seu exemptionem alicujus a legis obligatione. Differt autem Dispensatio ab Irritatione, Abrogatione, Derogatione, & Interpretatione legis: quod Irritatio tunc contingit, quando is, cuius est legem confirmare, impedit, quominus firmetur, & vult eam omnino esse irritam; Verbi gratia, si lex a Civilibus constituta indigeat Principis confirmatione, ut obliget, & Princeps illam non modo non confirmet, sed caset, & annulet, tunc dicitur illam irritare. Abrogatio habetur, quando quis legem latam omnino tollit: Derogatio vero, cum quis legem jam latam tollit, non simpliciter, sed ex parte. Interpretatio habetur, quando vir prudens, ac doctus declarat, legem hic, & nunc non obligare, aut talem casum lege non comprehendendi; idque aut in casu certo, vel probabili, aut in casu dubio, in quo auctoritas Superioris postulatur. At dispensatio habetur, quando quis ab obligatione legis liberatur ex Superioris voluntate, adhuc persistente lege in suo vigore.

Hinc sequitur primo, dispensationem esse actum Jurisdictionis, atque adeo a Superiore dumtaxat provenire posse.

Sequitur secundo, In lege divina non habere locum dispensationem factam ab homine, sed habere dumtaxat locum Interpretationem hominis, etiam in casu dubio; quamvis in casu dubio, praeter prudentiam, requiratur jurisdictione in interpretante.

II. Sequitur tertio, Privilegium a-

licui particulari concessum, si sit contra jus, & illud relaxet, esse revera dispensationem: Contra vero si non sit contra jus, sed sit veluti lex privata alicujus communitatis, tunc proprie dici Privilium, & differre a dispensatione; haec enim, ut mox dicemus, stricte; illud vero late interpretandum est.

Sequitur quarto, licentiam non esse dispensationem, sed esse conditio nem ab ipsa lege requisitam, ut hic, & nunc non obliget. Quare quando Monachus de licentia Superioris, verbi gratia, domo egreditur, non intervenit tunc dispensatio, quæ dicitur Vulnus legis, sed solum apponitur id, quod lex ipsa postulat, ut licitus sit egressus.

III. Sequitur ultimo, dispensationem legis, & dispensationem voti, ac iuramenti relaxationem multum differre; Nam dispensatio in voto, seu iuramento habetur per hoc, quod Praelatus gerens Dei vices, nomine ipsius Dei, cui jus est acquisitum, relaxet obligationem, interpretando hic, & nunc mentem divinam: Unde fit, & quod invalida sit talis dispensatio, si fiat sine causa, & quod possit in voto fieri commutatio in melius propria auctoritate; Immo probabiliter in evidenter æquale: Contra vero dispensatio legis habetur per hoc, quod superior proprio nomine dispenset, seu obligationem relaxet; Unde fit, & quod, si sine justa causa dispenset in propria lege, valida sit, quamvis illicita talis dispensatio; & quod in quacunque lege non possit fieri commutatio propria auctoritate; verbi gratia, non potest quis loco jejunii præcepti audire plures Missas, aut facere eleemosynas; quia lex pendet a sola voluntate Legislatoris, ubi votum ab ipso votente dicit initium sua obligationis; & ideo solum votum potest propria auctoritate com-

T 2 mu-

mutari in melius, & probabiliter etiam in evidenter æquale.

Ubi nota, causam requisitam ad valide dispensandum non debere esse talem, quæ eximat ab obligatione legis; quia sic dispensatio non differret ab Interpretatione; sed debet esse talis, quæ sufficiat, ut possit subditus rationabiliter eximi ab obligatione legis per Superioris auctoritatem.

IV. Primitto secundo, Dispensationem per se loquendo restringendam esse, ac stricte interpretandam, cum sit vulnus legis, & idcirco odiosa, ut notat Sanch. lib. 8. disp. 1. Excipiuntur tamen nonnullæ dispensationes, quæ ratione materiae, vel ratione gravissimæ, & piissimæ causæ, omnibus pensatis, censentur esse favorabiles, & idcirco large interpretanda sunt: Sicut etiam dispensatio in lege præcedenti, quæ sit dispensatio interta in corpore juris, late interpretanda est; quia censetur favorabilis, seu in bonum communitatis; unde habet rationem Privilegii. Idemque Doctores docent communiter cum Perez disp. 46. sect. 2. de Potestate dispensandi generaliter concessa, quæ pariter favorabilis est, & amplianda: Contra vero potestas dispensandi cum certis personis privatis, quia respicit bonum privatum, non commune, dicitur esse odiosa, cum sit juri contraria, & idcirco restringenda, seu stricte interpretanda.

V. Quæritur nunc primo; An possit Pontifex in matrimonii impedimentis dispensare?

Respondeo, Pontificem in tribus impedimentis iure naturæ rigoroso dirimentibus matrimonium nullatenus posse dispensare, videlicet in Errore Personæ, Impotentia perpetua, & Impedimento cognationis in primo gradu linea recta. Nec possit dispensare in impedimento Ligaminis iure divino dirimente matrimonium;

Nam ex cap. *Gaudemus*, de Divorciis habetur, nunquam licuisse citra dispensationem, seu concessionem divinam, quod ligatus cum una uxore alteri nubaret. In reliquis vero impedimentis five dirimentibus, five impedientibus potest Pontifex dispensare. Ratio est, quia reliqua impedimenta vel dirimunt, aut impediunt matrimonium jure Ecclesiastico, & sic potest Pontifex in tali jure dispensare; vel dirimunt, aut impediunt iure naturali secundario, ut Votum, & Sponsalia, & potest Pontifex in utroque dispensare; nam potest ex rationabili causa Pontifex, cui Deus dedit potestatem ligandi, atque solvendi, nomine ipsius Dei, cui facta est promissio, seu votum, cedere iuri acquisito, & remittere debitum contractum per votum; qua remissione facta, cessat per sublationem materie lex naturalis obligans ad non contrahendum matrimonium post votum castitatis; sicut enim occisio innocentis, verbi gratia, est contra legem naturalem, si fiat auctoritate privata, secus vero si fiat Deo illam praepiente; ita contra legem naturalem est nubere post votum castitatis, nulla facta remissione obligationis contractæ per votum; secus vero post talem remissionem; unde purificata hac conditione tollitur materia legis naturalis, quæ manet indisponsabilis, & immutata.

Idem dicas de impedimento Sponsalium; illicitum enim est, & contra legem naturalem post Sponsalia contracta cum una nubere alteri; non tamen potquam aut illa cessit iuri suo, aut Pontifex, in quantum summus Princeps, ex rationabili causa illi derogat: Sicut contra legem naturalem est, usurpare sibi rem alienam, non tamen si aut Dominus consentiat, aut summus Princeps ex rationabili causa id permittat. Et eodem

dem pacto potest ex urgentissima causa Papa dispensare in matrimonio rato, prout diximus quæst. 3. art. 3.

Demum in impedimento Voti solemnis dirimente potest etiam Pontifex dispensare, quia dirimit jure Ecclesiastico, ut supra ostendimus. In matrimonio consummato dispensare non potest; Est quippe illi vetitum ijs verbis Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

VI. Oppones: Quamvis de jure positivo divino sit, quod Episcopus sit minister Confirmationis, potest tamen ex concessione Papæ esse Minister etiam simplex Sacerdos. Pariter de jure divino est, quod Sacrificium fiat sub utraque specie; & tamen nonnulli putant posse ex Papa dispensatione fieri in sola specie panis sine consecratione calicis in locis, ubi vinum vix potest reperiri. Præterea Residentia Episcopi est de jure divino; & tamen potest Papa in illa dispensare; ergo quamvis impedimentum ligaminis sit de jure divino, potest tamen in eo Papa dispensare ex rationabili causa; ut scilicet Rex Catholicus, verbi gratia, qui uxori habet sterilem, ducat secundam, adhuc prima vivente.

Respondeo, Impedimentum Ligaminis non esse de jure divino positivo, sed de jure naturali secundario; sicut de jure naturali secundario prohibetur, ut diximus, occisio innocentis; unde solus Deus potest in utroque casu dispensare; Pontifex autem nec in jure naturali dispensare potest, ut est certum, nec in jure divino positivo; quia Inferior non potest dispensare in lege Superioris.

Ad ea, quæ objiciuntur, respondet primo Suar. lib. 10. de legibus cap. 6., Episcopum ex institutione divina esse ministrum Confirmationis, non absolute, sed ordinarium; atque adeo non dispensat in tali lege Pontifex,

quando in casu extraordinario id committit Sacerdoti simplici. Ad id, quod additur de Sacrificio, communissime negant, posse auctoritate Pontificia in una tantum specie offerri. Quod si concedatur, id explicandum est per modum interpretationis doctrinalis, non per modum dispensationis in lege divina; Nam ex institutione divina solum habetur, quod debeat offerri Sacrificium Missæ in lege Euangelica; quod autem sub utraque specie offerri debeat, videtur potius esse ex lege naturali dictante, quod Sacrificium Deo offerri debeat integrum; Si tamen in aliquibus locis esset inopia vini, juxta nonnullorum sententiam posset Papa declarare, quod præceptum naturale de integre consecrando non se extendat ad talem casum. Demum sitne Residentia Episcopi de jure divino, an non? alias examinavimus, diximusque, quod sicut de jure divino est observantia voti; & tamen ex causa rationabili potest Pontifex in eo dispensare, quippe qui vices Christi gerit in his, quæ passim occurunt; nec aliter posset gravibus incommodis occurri, si Pontifex non posset in votis dispensare, ac juramenta relaxare: Eodem modo, quamvis de jure divino sit Episcopi residentia, poterit Pontifex data rationabili causa similiter nomine Christi, cuius vices gerit, dispensare; seu verius in his casibus interpretaretur mentem divinam, ut dicemus etiam quæst. 1. art. sequentis.

VII. Quaritur secundo; An possit Pontifex dispensare in radice matrimonii invalide contracti; videlicet efficiendo, quod proles ex matrimonio invalido nata legitimetur, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia, perinde quasi nata esset ex legitimo matrimonio?

Respondeo, omnes concedere, quod possit Papa legitimare prolem

in ordine ad effectus omnes Ecclesiasticos, & spirituales; nimirum, ut possit suscipere Ordines, Beneficia, &c. Dubium solum est, An possit legitimare relate ad effectus civiles, & temporales, verbi gratia, relate ad succendum in Paterna hereditate. Et sane quod non possit id Pontifex directe, omnes concedunt; Docent tamen multi cum Sanch. lib. 8. disp. 6., quod possit id indirecte. Ratio est, quia radix illegitimationis saepe est lex Ecclesiastica statuens impedimentum dirimens, verbi gratia, inter consanguineos; sed Papa potest in tali lege dispensare, antequam matrimonium contrahatur: ergo post matrimonium contractum, & proleni natam poterit etiam Papa dispensare in iis, quae consequuntur proliis illegitimationem; seu poterit Ecclesia veluti destruere legem suam, ex qua effectus illegitimationis consequuntur, & sic indirecte prolem legitimare: Ad eum modum, quo si ne simonia potest indirecte alienari per venditionem consecratio Calicis, vendendo directe solam materiam Calicis consecrati.

Sed probabilius id negant Con., Hurt., Perez, Molin. disp. 44. sect. 5.; quia Pontifex efficere non potest, ne indirecte quidem, ut matrimonium, quod fuit nullum, non fuerit nullum: ergo quamvis possit Pontifex hic, & nunc tollere inhabilitates canonicas, & dispensare in illegitimatione relate ad effectus Ecclesiasticos, qui pendent a sua voluntate; non potest tamen relate ad effectus civiles, & temporales, habilitando illegitimum ad officia temporalia; cum hi effectus non subjaceant potestati Pontificia. Quod autem ne indirecte quidem possit id efficere, probatur; quia instantum potest, verbi gratia, precipere indirecte actum internum in susceptione Sacramentorum, in quantum potest directe precipere actum

externum suscipiendo Sacra menta; & instantum potest indirecte alienari per venditionem consecratio Calicis, in quantum potest directe vendi materia Calicis consecrati; ergo pariter instantum posset Pontifex tollere indirecte effectus civiles illegitimationis, in quantum posset directe tollere impedimentum Ecclesiasticum, ratione cuius matrimonium fuit invalidum, & proles illegitima; atqui quamvis Pontifex id possit, antequam matrimonium contrahatur, tamen post matrimonium invalidem contractum non potest amplius tollere impedimentum, nec efficere, ut matrimonium non fuerit invalidum; cum non detur potentia ad praeteritum, nec possit fieri, quod fuerit validum id, quod fuit invalidum; ergo non potest Pontifex in radice matrimonii indirecte dispensare post matrimonium invalidem contractum.

VIII. Quæritur tertio; An possit Episcopus in aliquo casu urgentissimo dispensare in impedimentis matrimonii dirimentibus, in quibus Papa probabiliter dispensaret, si posset ad ipsum recurri?

Respondeo cum Sanch. lib. 2. disp. 40., Con., Lesl., Hurt., Perez, Reb. bell., & aliis contra Sotum, posse ex tacita concessione Pontificis Episcopum pro foro conscientiae dispensare in aliquo impedimento occulto; quando scilicet matrimonium bona fide contractum est, & sine scandalo non potest fieri separatio, aut differi dispensatio sine evidenti periculo peccandi. Ratio est, tum quia incredibile est velle Papam in tali casu sibi dispensationem reservare cum gravissimo animarum periculo; tum etiam quia ea est praxis, & consuetudo, quæ est optima legum interpres, & sufficit ad acquirendam jurisdictionem, ut notat Perez disp. 46. sect. 6.; tum demum, quia Episcopus potest

con-

contra jus commune aliquid statuere, modo id faciat ex evidenti, & necessaria causa, quæ Superiorem ad id concedendum moveret; argumento l. hominem ff. Mandati.

Notandum tamen, quod quia in hoc casu ex Pontificis præsumpto consensu Episcopus dispensaret, debet matrimonium esse bona fide contractum ab alterutro saltem ex contrahentibus, & cum requisitis proclamationibus; Aliter non potest præsumi consensus Pontificis; quia favaret audaciae, & iniquitati: ut colligitur ex Trident. sess. 24. cap. 5.

Majus dubium est; An possit etiam Episcopus dispensare in iisdem impedimentis in casu necessitatis ante contractum matrimonium?

Respondeo, id etiam concedia Sallas, Hurt., Pont., Sanch. loc. cit.; si tamen necessitas sit urgentissima: Verbi gratia, si mulier jam parata ad nuptias contrahendas, dum confitetur, deprehendat impedimentum dirimens, & sine infamia non posset nuptias differre; vchemens enim suspicio oriatur alicujus criminis in confessione drecti, si foemina vellet nuptias differre, quoisque a Papa dispensationem obtineret. Ratio est, quia juxta communem sententiam Doctorum apud Sanch. loc. cit., potest Episcopus in lege Pontificis, aut Concilii dispensare urgente necessitate: Et ideo Henr. Silvest., Navar., Angel., & alii apud eundem Sanch. docent, posse etiam Episcopum dispensare in voto simplici castitatis (quod est reservatum Papæ) in casu necessitatis; quando scilicet magnum urget periculum incontinentiae, nec potest consulit Papa, vel ratione paupertatis, vel quia periculum grave est in mora.

Et ratio a priori est, quia lex omnis Pontifícia ordinatur ad charitatem, & ad rectam Reipublicæ gubernationem, cum data sit illi a Christo

Domino potestas condendi leges in ædificationem, & non in destructionem, ut loquitur Apostolus: eset autem contra Charitatem, & contra suavem Ecclesiae gubernationem velle Pontificem reservare sibi potestatem dispensandi etiam in casu tanta necessitatis.

Hinc communiter docent, quod possit Episcopus in casu impedimenti absolvere ab excommunicationibus in Bulla Cœnæ; quamvis in ea Bulla dicatur, quod nemo præter Pontificem possit ab iis casibus absolvere extra mortis articulum. Solum in cap. Mulieres, de Sententia Excommunicationis in 6. dicitur, quod impedimenti adire Papam pro obtainenda absolutione ab excommunicatione obpercussionem Clerici contracta, possint ab Episcopo absolvi; & subditur ratio talis permissionis; ne scilicet impediti adire Pontificem careant medio absolutionis: quia tamen hæc ratio militat etiam pro censuris in Bulla Cœnæ, & pro aliis Pontifici reservatis; ideo communiter Doctores doceat, quod possit Episcopus in casu impedimenti ab omnibus omnino censuris absolvere; ergo poterit pariter in casu nostro dispensare in impedimentis matrimonii.

Notandum tamen cum Perez, facile occurri posse necessitati casus adiuncti, si scilicet foemina illa, quæ deprehendit impedimentum dirimens, voebeat castitatem ad tempus, Verbi gratia, per mensem, & publicet, obstrictam esse Voto castitatis, (tacendo tamen, quod tale votum sit ad tempus, ne velint, quod ab Episcopo petatur dispensatio) & iuslum sibi esse a confessario, ut a nuptiis abstineat, donec a Papa dispensatio in eo voto obtineatur; & interim posset occulte peti dispensatio in verò illo impedimento dirimenter, quod in confessione deprehendit.

IX.

IX. Quaritur ultimo ; An possint etiam Religiosi Mendicantes dispensare aliquando in aliquo impedimento matrimonii?

Respondeo , nonnullos docere , quod a Leone X. concessum iis sit privilegium ad dispensandum cum illis , qui scienter , vel ignoranter contraxere matrimonium cum impedimento affinitatis occulto , nec deducto in judicium . Communiter tamen id negant cum Rodriq. , Henr. , Perez disp. 46. sect. 7. , quia tale privilegium nec extat , nec est in usu . Solum a Pio V. concessum est Franciscanis privilegium , ut possint dispensare in foro conscientiae ad petendum debitum cum iis , qui consanguineum , vel consanguineam sui conjugis post matrimonium carnaliter cognoverunt ; quo privilegio gaudent etiam Patres Societatis , ex concessione tamen Patris Provincialis . Præterea conceditur Mendicantibus , ut possint dispensare cum Infidelibus ad fidem conversis , qui tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium in gradibus solo jure Ecclesiastico prohibitis , ut in eo permanere valeant . Verum , ut advertit Perez , talis concessio data est ad superabundantiam ; quia matrimonium contra leges Pontificias tempore infidelitatis contractum est validum , ut supra diximus ; unde nulla indigent dispensatione hujusmodi Infideles ; immo peccarent , si matrimonium vellent dissolvere .

ARTICULUS II.

De Causis ad Dispensationem requisitis .

I. Ut sit valida dispensatio Inferioris in lege Superioris , satis est , quod causa probabilitate reperitur sufficiens .

II. Valide Legislator , quamvis illicite dispensat sine causa cum subdi-

tis suis . At secummet in tali lege etiam invalide dispensat .

III. Peccat mortaliter , qui in re gratiæ sine causa dispensat in lege Superioris ; Sicut etiam qui tales dispensationem petit ; & qui eam tenuit .

IV. Qui vero in propria lege sine causa dispensat , probabilitate peccatum venialiter ; sicut etiam appetit talem dispensationem , & ea uitetur .

V. Plures enumerantur causa , ob quae peti potest dispensatio in impedimentis matrimonii .

VI. Ad dispensandum in impedimentois Votis duplex causa a Doctoribus assignatur .

VII. Quanam sit causa sufficiens , ut dispensetur in impedimentoo Spousalium ?

I. Quæritur primo ; An dispensatio legis universi requiri causam , ut sit valida ?

Respondeo , & dico primo , invalidam esse dispensationem Inferioris in lege Superioris , si fiat absque legitima causa . Ita communiter cum Sanch. lib. 8. disp. 17. , Perez disp. 45. sect. 2. Probatur , quia intantum potest Inferior dispensare aliquando in lege Superioris , inquantum præmitur hic , & nunc necessitate urgente , quod Superior concedat Intendo talem facultatem ; atqui non præsumitur , quod velit Superior concedere facultatem dispensandi sine causa rationabili ; ergo dispensatio illuc fine rationabili causa est invalida .

Hinc sequitur primo , Epilopum fine justa causa invalide dispensatam in votis , quam in lege Pontificia , puta in lege jejunii .

Sequitur secundo , Papam invalide dispensare in voto , aut juramento fine legitima causa : Sicut enim si Oeconomus , vel Procurator remittat debita , quæ debentur suo Domino sine

sine voluntate Domini, nihil operatur, & debitum non extinguitur; ita Papa, qui est dispensator, non dissipator mysteriorum Dei, invalide cedit juri a Deo per votum acquisito, si non interveniat justa causa, ratione cuius interpretetur divinam voluntatem, ejusque voluntatem exequatur.

Sequitur tertio, Papam invalide dispensare in quacumque lege divina, aut naturali sine causa: Immo nec causam causi potest in rigore dispensare, sed solum, ut diximus, poterit mentem divinam interpretari. Quare si posset, verbi gratia, dispensare, ut Sacrificium offeratur solum sub specie panis in locis, ubi vinum haberi non potest, (quod communiter negatur) interpretaretur potius, quam dispensaret in lege divina, existimando, quod praestet offerre sacrificium non integrum, quam nullum Sacrificium offerre.

Notandum tamen, quod si Inferior probabiliter, ac prudenter judicat bona fide, causam dispensandi in lege superioris hic, & nunc esse justam, ac legitimam, dispensatio erit non solum valida, sed etiam licita; quamvis revera causa non sit sufficiens ad dispensandum. Ita Sanch. lib. 8. disp. 27. contra Pal. & Pont. apud Perez; qui requirunt evidentiam causa sufficientis ad dispensationem, ut valide, & licite dispensetur. Ratio nostra doctrinæ est; quia opinio probabilis satis est ad licite operandum; ergo si probabile est, causam esse justam, ac sufficientem ad dispensationem, licita erit dispensatio, & consequenter etiam valida; quia præsumitur, Superiorem velle validam esse dispensationem factam ab Inferiore prudenter, & humano modo, seu cum opinione probabili, ut innumeris scrupulis occurritur. Concedo equidem, bonam fidem operantis aliquando satis esse solum ad

licite, non ad valide' operandum; Verbi gratia, si quis bona fide datus opinione probabili, seu putata probabili, contraheret matrimonium cum consanguinea in gradu prohibito, hic licite, sed invalide matrimonium contraheret: At dicendum in casu nostro, etiam validam esse dispensationem, quando ex opinione probabili causa ad dispensandum censetur esse justa, & sufficiens, etiam si revera sit insufficiens. Ratio est, quia incredibile est, Deum, & Papam velle obligare Inferiores Prælatos, ut plusquam humano more, & modo habeant evidentiam causæ ad dispensandum; Quare satis erit probabilis, & prudentialis cognitio, quæ ad operaendum honeste, & humano modo satis est.

H. Dico secundo, Validam esse, quamvis illicitam, dispensationem in lege ipsiusmet Legislatoris factam absque legitima causa. Ita Doctores ciati communiter. Probatur, quia Legislator in propria lege operatur tamquam Dominus; ergo sicut Dominus prodigis valide transfert suorum bonorum dominium, quamvis prodigendo peccet; ita Legislator valide in propria lege dispensat, quamvis sine justa causa dispensando peccet, cum abutatur sua potestate.

Notandum tamen cum Suar. de legibus lib. 6. cap. 19. contra Pont. apud Perez hic, quod si Legislator summet in lege sua dispenset sine justa causa, invalide secum dispensat, quamvis in eadem lege valide dispenset cum suis subditis. Ratio disparitatis est, quia Superior ad servandam suam legem non obligatur ab ipsa lege sua; cum nemo possit sibi impetrare; sed obligatur ex vi legis naturalis, qua Superior tenetur conformare se communitati, & esse caput membris uniforme; atqui Superior in lege naturali invalide dispensat sine justa

sta causa, ut diximus; ergo si Superior sine justa causa eximat se a sua lege, invalide operatur: Contra vero valide in sua lege dispensat cum subditis; quia subditi immediate obligantur a lege Superioris.

III. Dubium est; Sitne mortale, an veniale concedere, petere, acceptare dispensationem, vel illa uti, deficiente causa legitima?

Respondeo, certum esse, quod nisi levitas materiae excusat, mortaliter peccet, qui sine causa dispensat in lege divina, aut in lege sui Superioris; nec non qui talem dispensationem sine causa petit, & qui ea utitur. Et ratio est manifesta, quia talis dispensatio ex dictis est invalida.

IV. Certum etiam est, quod Legislator sine justa causa dispensans in lege propria peccet; Solumque dubitatur, num peccet venialiter, an mortaliter? Quod peccet, probatur, quia Legislator respicere debet bonum communis sibi subditae, cum non sit illius absolutus Dominus, sed Pastor, & Rector; & ut Apostolus loquitur, Minister, & Dispensator; unde fit, quod non possit condere leges in commodum privatum, sed in bonum commune; atqui dispensatio sine justa causa facta in propria lege est contra bonum commune, cum gravet iniqualiter subditos, & det occasionem querelarum; ergo Legislator sic dispensando peccat. Circa dubium vero; Utrum peccet mortaliter? Affirmat Suar. lib. 6. de legibus caput. 18. & alii; quia talis dispensatio est contra justitiam distributivam, cum sit directe Acceptio personarum; hæc autem ex genere suo est culpa mortaliter; præfertim quando radicatur in obligatione proprii officii. Verum Sanch. lib. 8. disp. 18., Salas, Pal., & alii apud Perez disp. 45. sect. 4. putant esse veniale, si scandalum vitetur, nec sequatur notabile danum alio-

rum; quale esset, si nimirum alii gravarentur, ut Titius amicus eximatur ab obligatione, verbi gratia, solvendi tributum. Ratio est, quia non videtur gravis deformitas, partem aliquam non se conformare toti communitati ex arbitrio Principis. Unde sequitur, quod Legislator non observans propriam legem probabiliter solum venialiter peccet, quoties non est gravis deformitas, quod caput a suis membris disformatur, & scandalum vitetur.

Qui vero petit, & acceptat dispensationem legis sine causa factam a Superiori in propria lege, ex doctrina Suar. peccat etiam graviter: Petens quidem, quia petit rem illicitam, & inducit Legislatorem ad peccatum; Acceptans vero, quia peccato dispensationis cooperatur; dispensatio enim non potest suum effectum sortiri sine acceptatione. Uterque tamen iuxta sententiam laudatam Sanch., Salas, Pal. videtur peccare solum venialiter, si scandalum vitetur, nec sequatur grave damnum aliorum.

Demum qui tali dispensatione vitetur, Sanch. lib. 8. disp. 18. putat, probabile esse, quod cessante scando, & aliorum damno notabili, non peccet; Probabilius tamen esse, quod venialiter peccet; non quidem contra legem, in qua dispensatur, sed contra ius naturæ, quæ dictat, neminem debere absque justa causa a suo toto, seu a communitate, cuius est membrum, discrepare.

Notat tamen Sanch., quod perens sine causa dispensationes matrimoniales, exhibent copiosam eleemosynam, non peccet; (sicuti nec qui sine causa iis petit utitur) Ratio est, quia quamvis sine causa petantur, non conceduntur tamen sine causa. Etenim pro causa concessionis succedit copiosa pecuniaria compositio, seu eleemosyna data in bonum, ac sumptus publicos, sicut

sicut accidit in concessione privilegii Bullæ Cruciatæ.

V. Quæritur secundo; Quænam sit justa causa dispensandi in impedimentis matrimonii, præsertim dirimenti bus Cognitionis, & Affinitatis?

Respondeo, plures causas a Doctoribus enumerari; Prima ad spondiendam gravem item, & discordias, vel ad vitanda peccata, & scandala: Secunda, quando non reperitur commodum matrimonium cum extraneis; ut si fœmina deberet aliter extra suam Patriam nubere, & sic semper exulare a suis, quod est valde durum: Tertia, defectus dotis; unde non possit fœmina Sponsum se dignum, nisi ex propinquis, invenire: Quarta, conservatio divitiarum in eadem domo, vel familia; Quinta, conservatio familiæ illustris intra eundem sanguinem; Sexta, Excellentia meritorum erga Ecclesiæ vel potentis dispensationem, vel ejus, in cuius gratiam petitur; Septima, matrimonium bona fide contractum; Octava, copiosior pecunaria compositio ad aliquod opus pium; Et universim quælibet alia rationabilis causa judicio prudentis, & docti viri discernenda.

Notandum tamen hic primo, Ecclesiæ sine ulla nota acceptioonis personarum facilius dispensare cum Magnatibus, & divitibus, quam cum aliis. Ratio est, quia utilitas publica magis ab iis pendet, & expedit ipsi Ecclesiæ eos habere faventes.

Notandum secundo, quod eo major causa ad dispensandum requiratur, quo cognatio, vel affinitas est arctior. Trident. sess. 2¹, cap. 5. dicit, in secundo gradu dispensandum non esse, nisi inter magnos Principes: Sanctamen lib. 8. disp. 19. docet, inter magnos Principes recenserit posse etiam Barones, & iis Superiores; Docet etiam, in maternitate, & paternitate spirituali difficillime dispensari;

nimirum inter levantem, seu tenetem in Sacro fonte, & levatum; quia cognatio spiritualis arctior est, quam carnalis, utpote procedens a nobilio ri principio: Unde Abbas, Mandus, & alii dicunt, nunquam legisse, quod Ecclesia Romana circa cognationem spiritualem dispensarit. Fertur ta men Alexander VIII. (neconon alii Pontifices novissimi) in ea dispensasse: Ceterum minus difficultis est dis pensatio in Compaternitate, seu in ter levantem in Sacro fonte, & le vati patrem, aut matrem, quam in Paternitate explicata; quia Compaternitas est cognatio spiritualis in se cunda specie, seu gradu; Paternitas vero est in primo gradu, ut notat idem Sanch. loc. cit.

VI. Præterea ad dispensandum in impedimentoo impediante voti, duplex a Doctoribus assignatur causa, ut notat Con. Prima ex parte materiae, quando scilicet dubitatur, an votum ab initio obligaverit, an cum delibera ratione fuerit emissum, an mutatis circumstantiis votum sit impeditivum boni majoris, &c., Secunda ex parte voventis, quando scilicet ex animi levitate, & repente motu, sine ma tura consideratione votum emisit; Vel si causa ad emittendum votum omnino desit; ut si vovisles castitatem, quia volebas ingredi certam Religio nem, ad quam tamen non potes ad mitti; Vel si cum magna difficultate poteris votum servare, vel si ad publicam pacem conferat nubere.

VII. Demum ad dispensandum in impedimentoo impediante Sponsalium sufficiens causa est, si timeatur, sponsam futuram occasionem peccandi sponso; aut si ex matrimonio cum altera speretur publica pax, vel extin ctio, seu impeditio gravium discordiarum.

ARTICULUS III.

De Dispensatione surreptitia, & nulla.

- I. *Rescripta gratiæ per surreptionem obtenta sunt ipso jure irrita ; secus vero Rescripta justitiae.*
- II. *Quænam falsi expressio, aut veritatis taciturnitas reddit dispensationem surrepticiam?*
- III. *In dubio, num dispensatio sit surreptitia, probabilius dicendum, esse nullam.*
- IV. *Num dispensatio sit surreptitia, si duplex causa exponatur, quarum altera est falsa?*
- V. *An possint duo impedimenta in diversis petitionibus separatim exprimi?*
- VI. *Si impedimentum oriatur ex duplicitate titulo, probabilius uterque exprimi debet ; ut si quis duas Beræ Sorores cognovisset.*
- VII. *Quando petitur dispensatio super gradibus consanguinitatis, satis est, quod gradus remotior exprimatur, dummodo gradus propinquior non sit primus.*
- VIII. *Num debeat exprimi incestus, si præcesserit, quando petitur dispensatio in impedimento cognationis?*
- IX. *Potestas dispensandi cum personis incertis non expirat morte concedentis ; secus vero si detur facultas dispensandi cum aliquo particuliari : Facultas vero data alicui, ut dispensetur, vel absolvatur, neque expirat morte concedentis.*
- X. *Facultas data ad beneplacitum concedentis expirat per hujus mortem, aut amotionem ab officio, si data sit alicui particulari ; secus vero si sit data Communitali.*

I. **D**ispensatio, & qualibet facultas dicitur esse surreptitia, seu nulla, si concedatur ex mero errore, sive ob falsitatem a petente expressam, sive ob veritatem celatam.

Notandum tamen, Concessiones, seu Rescripta Pontificis, aliorumque Principum, alia esse justitiae (que scilicet diriguntur ad lites, & similes causas ex justitia terminandas) alia vero esse Gratiarum (quibus scilicet beneficia Ecclesiæ, dispensationes, & similes gratiarum conceduntur) Concessiones, seu Rescripta Gratiarum per surreptionem obtenta, ipso jure sunt irrita, & nulla : Rescripta vero justitiae per surreptionem obtenta non sunt ipso jure irrita, nisi per exceptionem elidantur. Disparitas ex Concluſione, tum quia per Rescripta justitiae non statim terminantur cause, sicut per Rescripta Gratiarum ; sed solum in terminandis aut Iudex, aut modus imponitur ; unde datur locus detegendo errori ; tum etiam quia contra Rescripta justitiae solet semper pars invigilare.

Notandum ulterius, causam, ob quam aliquid conceditur, vel esse finalē, seu motivam, vel impulsivam. Causa finalis dicitur illa, sine qua nullo modo, aut nonnisi cum quibusdam conditionibus, & limitationibus rescriptum concederetur. Impulsiva vero dicitur illa, ob quam facilius conceditur rescriptum ; quod tamen adhuc sine illa secundum rectam rationem, & merita causæ concederetur.

II. Quæritur nunc primo; Quænam taciturnitas veritatis, aut expressio falsi reddat dispensationem surrepticiam, & nullam?

Respondeo, dispensationem esse surrepticiam, si taceatur aliquod verum, quod jus jubet exprimi ; etiam si pertineat ad causam impulsivam ; necnon si taceatur verum pertinens ad causam

sam finalē; non vero si pertineat ad causam impulsivam: Eodem modo expressio falsi reddit dispensationem irritam, si exprimatur falsum pertinens ad causam motivam, seu finalē Concessionis. Ita communiter.

Probatur prima pars; quia quoties jus jubet aliquid exprimi, illud exigit tamquam formam præscriptam, qua deficiente, totus actus, & consequenter ipsa dispensatio corruit. Hinc in cap. *Si motu proprio*, 23., *de probandis in 6. deciditur*, ex quantumvis modici beneficii taciturnitate reddi alterius beneficii impetrationem surrepticiam.

Secunda pars patet; quia Concessio dispensationis fit dependenter ab existentia motivi, quod exprimitur; ergo deficiente causa motiva, seu finali, actus est omnino involuntarius; & sic dispensatio est nulla.

Tertia pars etiam patet; quia quando error est tantum circa causam impulsivam, & non circa finalē, habetur totum id, quod requiritur ad concedendam dispensationem; ergo dispensatio non est nulla. Hinc docent communiter Doctores, pauperem improbum obtinentem eleemosynam ab eo, qui cognita improbitate, illam non dedisit, non dici eam per errorem obtinuisse; unde non tenetur ad restitutionem; quia vere est pauper, & ad sublevandam inopiam, tamquam propter causam finalē, motus est largiens eleemosynam, esto eius probitas fuerit causa impulsiva.

III. Si tamen dubium sit, Num verum, quod tacetur, aut falsum, quod exprimitur, pertineat ad causam motivam? arbitrio prudentis, & docti viri id decidendum, quando neque ex jure constat, neque ex stylo Curiæ, quod etiam facit jus. Quod si probabiliter decerni nequeat, & res adhuc maneat sub dubio, Sanch. disp. 21. num. 2. docet, dispensationem pu-

tandam validam; quia valori actus iura maxime favent, & in dubio eum rationabiliter præsumunt. Sed Perez disp. 46. sect. 1. cum Hurt., Molin., Con. probabilius docet, dispensationem esse nullam; quia impedimentum est certum, & dispensatio dubia; in dubio autem melior est conditio possidentis.

IV. Si demum taciturnitas veri, aut expressio falsi sit tantum circa partem petitionis, dicendum, quod si gratia concesa est divisibilis, sit irrita solum secundum eam partem, secundum quam expressum est falsum; si vero est indivisibilis, sit totaliter nulla. Quare si Titius, verbi gratia, petat dispensationem in voto castitatis ob duplē causam, & quia patitur gravissimas tentationes, & ut possit ducere consanguineam, quæ aliter non reperiret dignum se maritum; si prima causa sit vera, & sufficiens, non vero secunda, tunc obtenta dispensatione, poterit ducere uxorem, si bona fide processit, non vero illam consanguineam: Si tamen mala fide id fecerit, neutram poterit; idque in pœnam malitia, ex cap. *Super literis*, 20., *de Rescriptis*; quamvis ad hanc pœnam subeundam requiratur sententia judicis, ut notat Con. hic.

V. Quaritur secundo; Utrum quando habentur duo impedimenta, debat simul in eadem petitione exprimi utrumque, an possint separatim exprimi in diversis petitionibus?

Respondeo, Henr. lib. 12. cap. 5., Navar., & Sà putare, quod possint seorsim exprimi; tum quia hic est stylus Curiæ, qui facit jus; tum etiam, quia sicut potest impetrari absolutio ab una excommunicatione, vel irregularitate, non facta mentione de aliis; & sicut potest obtineri dispensatio in uno impedimento, non in alio; ita potest pariter peti dispensatio in uno impedimento, non in alio.

Ne-

Neque opposas: In cap. 2., de filiis Presbyterorum in 6. dicitur, quod dispensatus ad Ordines, & ad Beneficium Curatum, si postea petat dispensationem ad plura Beneficia, debet facere mentionem defectus natalium; aliter dispensatio est invalida; quia non est verisimile talem dispensationem a Pontifice concedi. Nam contra est primo, quia in tali casu non dicitur, quod fiat mentio dispensationis obtenta, sed defectus natalium. Contra secundo, quia hoc in tali casu est verum ex jure positivo.

Verum Sanch. disp. 23. cum aliis probabilius putat, debere simul impedimenta exponi; quia impedimenta simul juncta reddunt personam minus dignam dispensatione, etiam in singulis; Certe enim sepe dantur duas, vel plures dispensationes in duobus, vel pluribus impedimentis seorsim, quae non darentur, si duo, vel plura illa impedimenta essent simul: sicuti remittuntur sepe plura delicta in diversis, non tamen si eadem reperiantur in uno.

Excipe tamen, nisi deberet propagari peccatum; ut si quis vellet ducere in uxorem cognatam suam, cuius antea fororem cognovisset, non tenetur propalare suum incestum. Excipit etiam Con., & Perez, si duo impedimenta simul juncta non pariunt maiorem indecentiam; ut si habens votum castitatis vellet suam cognatam ducere, potest prius dispensationem obtainere in voto, deinde in impedimento affinitatis, vel consanguinitatis; etenim habita dispensatione in voto, non est major indecentia voventem ducere suam cognatam, quam si nunquam vovisset.

VI. Quaritur tertio; An habens aliquod impedimentum ex duplo titulo, debet id exprimere, ut valid sit dispensatio? Verbi gratia, si quis haberet impedimentum affinitatis ex

duplici titulo, nimis ex eo, quod cognovisset duas sorores ejusdem Bertha, quam vult ducere in uxorem; vel si quis ex utroque latere sit consanguineus cum Berta; vel si duplum cognationem spiritualem contraxisset, eo quod duos Berthas filios ex Sacro fonte levavit.

Respondeo, Henr. lib. 12. cap. 10., Rodriq. tom. 1. Summa cap. 23., & alios negare; quia sicut qui plures cum excommunicatione celebravit, non tenetur id exprimere in imperatione dispensationis ab Irregularitate; cum satis sit, si exponat se in Irregularitatem incidisse ob violationem Censuræ per exercitum Ordinis Sacri; Nec habens multiplicem copulam cum eadem forore Bertha in uxorem ducenda, tenetur id exprimere ad obtinendam dispensationem in impedimento affinitatis orto ex copula illicita: ita pariter si duas sorores ejusdem Bertha cognovisset, neque tenetur id exprimere ad obtinendam dispensationem in impedimento affinitatis: Quamvis enim non possit dicere, quod unam Bertham fororem cognoverit, quia sic mertiretur; posset tamen exponere, quod habeat impedimentum affinitatis ortum ex copula illicita. Et ratio a priori est, quia vinculum ex hoc, quod oriatur ei multiplici titulo, est solum extensive, non intensive gravius.

Verum Sanch. disp. 24., Pont., Hurt., Perez disp. 46. sect. 5. probabilius docent, ad valorem dispensationis requiri, quod exprimatur impedimentum ortum esse ex duplo titulo; quia tale impedimentum est intensive, non vero extensive tantum gravius. Verum quidem est, quod si quis plures rem habet cum eadem forore Bertha, affinitas, quae contrahitur, sit solum extensive major, quam si semel rem habuisset; quia tunc solum datur multiplex commixtio con-

rundem seminum, ex qua oritur affinitas: Contra vero, si quis cognoscat duas sorores Berta, tunc habetur multiplex commixtio seminum diversorum, atque adeo multiplex affinitas diversa; & idcirco impedimentum dicitur esse gravius intensive. Unde qui rem habuit cum diversis sororibus Berta, debet id exprimere, non vero qui pluries rem habuit cum eadem sorore Berta; sicuti nec qui pluries idem votum emisit, aut qui pluries cum censura celebravit.

VII. Quæritur quarto; An in impetracione dispensationis super gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, quando contracturi matrimonium inequaliter distant a stipite, debeat explicari gradus propinquior, an remotior, an uterque? Verbi gratia, si Paterus velit ducere suam nepotem, satis ne exponit impedimentum consanguinitatis, dicendo illam esse sibi cognatam, seu consanguineam in secundo gradu?

Respondeo, universim satis esse, si explicetur gradus remotior, unde in calu adducto secundum se satis esset exprimere consanguinitatem in secundo gradu, quia Paterus, & Nepos in secundo gradu conjunguntur. Quamvis autem hoc sit universim verum, tamen de facto in reliquis tantum gradibus licitum est illos sic exponere, non vero in calu adducto; quia ex motu proprio Pii V. ad valorem dispensationis exprimi debet, si alter distet a stipite in primo gradu. Unde sequitur, quod si alter distet in secundo gradu, alter in tertio, satis sit explicare tertium; si vero alter distet in primo gradu, alter in secundo, ut Paterus, & Nepos, non satis sit exponere conjunctionem in secundo gradu, sed debeat primus gradus Patrii explicari.

VIII. Quæritur quinto; An, si quis post copulam habitam cum consan-

guinea impetraret dispensationem ad contrahendum cum illa matrimonium, nulla facta mentione in petitione dispensationis copulae habitæ, valida sit dispensatio?

Respondeo, Sanch. disp. 25. cum aliis negare. Primo, quia stylus Curiae fert, ut in petitione dispensationis exprimatur incestus, ut sic timore manifestationis arceantur homines a copula incestuosa. Secundo, quia copula illa expressa efficit, ut dispensatio concedatur cum quibusdam limitationibus, nimirum addita poenitentia, & majori compensatione pecunia.

Sed Pont., Rodriq., Henr., & alii apud Perez probabiliter docent, dispensationem in calu adducto esse validam, quia neque incestus indiget dispensatione; neque jure aliquo praecipitur, ut exprimatur; Et præterea si exprimatur incestus, redditur dispensatio facilior, non difficilior.

Ad primam rationem in contrarium respondetur, falsum esse, quod ex styllo Curiae incestus exprimatur: Quamvis enim multi sequentes primam sententiam illum exprimant; multi tamen sequentes secundam sententiam non exprimunt. Adde, stylum Curiae (ut ait Rodriq. ex multis Jurisperitis) non obligare extra Curiam, nisi confirmetur decreto aliquo Papæ, quod hic non habetur.

Ad secundam rationem responderetur, quod injunctio poenitentiae, & majoris compensationis pecuniae propter copulam expressam, non solum fiat in poenam copulae, sed etiam ut facilius impetretur dispensatio; ergo expressio copulae non retrahit, sed potius promovet dispensationem; unde si reticeatur, non est invalida dispensatio.

Adverte tamen cum Perez, quod si in dispensatione a Papa obtenta adatur clausula illa (dummodo non inter-

tervenerit copula) si talis dispensatio sit pro foro interno, & copula intervenerit, dispensatio est irrita, cum sit conditionalis, & conditio non sit purificata; Si vero sit pro foro externo, & copula intervenerit quidem, sed non constet in foro externo, dispensatio est valida; cum vere pro foro externo, & judiciali copula non intervenerit.

IX. Quæritur ultimo; An commissiones dispensandi in impedimentis matrimonii expirant morte concedentis, re integra?

Respondeo, communiter Doctores docere, quod non expiret potestas dispensandi cum personis incertis; seclus vero potestas dispensandi cum Persona certa. Ratio est, quia in primo casu potestas datur in favorem dispensantibus, & ideo relate ad illum gratia jam est facta; unde morte concedentis non expirat: Contra vero in secundo casu potestas datur in favorem ejus, cum quo dispensandum est, & ideo gratia non est facta, sed facienda. Unde morte concedentis expirat, re integra, ex cap. *Si cui de Prabendis* in 6.

Notat vero hic Suar. lib. 8. de legibus cap. 31., quod si Titio directe concedatur facultas, ut possit in impedimento aliquo dispensari ab Episcopo, morte concedentis facultas hæc non expirat, quia est gratia facta; (& idem dicas, si subdito concedatur licentia eligendi sibi confessarium) Contra vero si concedatur directe Episcopo facultas, ut possit dispensare cum Titio in impedimentis matrimonii, morte concedentis talis facultas expirat; quia est gratia facienda. Quod attinet ad reliquias licentias, & privilegia data ad actus, qui non pendunt ex actione alicujus Tertii circa privilegium, ut sunt licentiae non jejunandi, laborandi die festo, celebrandi in Oratorio privato, audiendi Sa-

rum tempore Interdicti, dicendum, nunquam expirare morte concedentis, ut communiter docent ex præ Ecclesiæ.

Notandum præterea, probabilem esse sententiam Pontii, & aliorum apud Perez disp. 47. sect. 5. docentium, ad quamcumque licentiam, vel scriptum, sive depefideat ab actione Tertii, sive non, censeri gratianum factam ex vi privilegii ante quamcumque ejus usum, si sit gratia spiritualis; Immo & in quacumque materia, nisi jure sit prohibita, vel excepta: In duplice autem casu excipiuntur. Primo, in materia ambitiosa, qualis est beneficialis; nam in dicto cap. *Si cui* deciditur, facultatem concessam conferendi beneficia personis certis, & expressis expirare morte concedentis; non vero si sit licentia conferendi beneficia personis incertis. Et ratio est, quia in eo casu est gratia facienda, in hoc vero est gratia facta. Secundo, in materia fori contentiosi, ex cap. *Gratum, de Officio delegati*. Unde si, non expirare morte concedentis licentiam concessam dispensandi in voto, vel in impedimentis matrimonii, vel audiendi confessiones, &c., sive relate ad determinatam personam, sive relate ad personas incertas concedatur; quia hujusmodi licentiae non pertinent ad materiam ambitiosam, seu beneficialiem, nec ad materiam fori contentiosi.

X. Notandum demum cum Perez sect. 7., quod gratia concessa ad beneplacitum concedentis morte concedentis expirat: Ratio est, quia cum mortuus non possit habere amplius beneplacitum, talis gratia per ejus mortem extinguitur; Et idem dicas, si ab officio amoveatur, qui concessit licentiam ad suum beneplacitum. Quare si detur alicui determinato Confessario

licentia audiendi confessiones ad beneplacitum concedentis, vel quamdiu ei placuerit, talis licentia expirat, sive concedens moriatur, sive ab officio amoveatur: Verum si omnibus indiscriminatim Regularibus ea licentia detur sub tali conditione, tunc ne appareat irrationalis, & injusta, non est ita interpretanda, ut significet, dari licentiam, quoque ab ipso concedente revocetur; sed dari

licentiam quoque simpliciter a quolibet habente potestatem revocetur; atque adeo morte concedentis non expirat. Nec expirat, si detur licentia sub his terminis: Donec revocetur. Immo nec si dicat concedens: Do licentiam audiendi confessiones, donec illam revocavero; quia, ut expiret, requirit revocationem; atque adeo non satis est mors concedentis.

Q U A E S T I O VII.

De Usu, ac Debito conjugali.

Abstinendum esset ab hac questione, quæ plurima fert, a quibus aures pudicæ abhorrent. Verum quia *Omnia Munda Mundis*, ut loquitur Apostolus ad Titum cap. 1.; & quia Confessarii hac in re nosse debent, quæ licita sunt, & discernere inter lepram, & lepram, hoc est inter mortale, & veniale, ut plurima peccata devitent; ideo examinandum Primo, Qua ratione actus matrimonii sit licitus? Secundo, Quando sit debitus? Tertio, agemus de iis, quæ usum matrimonii impediunt. Quarto, de peccatis luxuriæ, quæ inter conjuges committi possunt.

ARTICULUS I.

Qua ratione actus conjugalis sit licitus?

- I. Ob quem finem exerceri posse actus conjugalis?
 - II. Vacat veniali culpa, illum exercere ad vitandum periculum incontinenciae.
 - III. Consilium sanum est certis temporibus ab illo abstinere. Et regulariter est veniale post illum accedere ad Eucharistiam.
 - IV. Potest aliquando licitus esse in Ecclesia actus conjugalis; Et tunc Ecclesia non polluitur. At polluitur per effusionem seminis sacrilegam, quæ non sit occulta, & fiat in ipso corpore Ecclesie.
- Pars VII.

- V. Non tenetur conjux reddere debitum, quando alter est amens, aut ebrios.
- VI. Ne ad vitam quidem tuendam licitum est procurare seminis effusione; quamvis licet eam non impedire, dum in somnis capitur.
- VII. Motus sensualitatis secundo primi sunt venialia, si proveniant ex causa venialiter mala citra periculum consensus.
- VIII. Non resistere positive cogitationibus, & delectationibus impuris num sit mortale?
- IX. Qui sine justa causa exercet actiones notabiliter in pollutionem influentes peccat graviter; peccat vero leviter, si raro, & per accidens in illam instuant.
- X. Quacumque modicissima delectatio venerea deliberate quesita, & admissa

X missa

missa non vacat letali culpa.

*XI. In quo differat delectatio venerea
a sensitiva non venerea?*

*XII. In aliquo sensu admitti potest,
quod in re ex objecto venerea de-
tetur materia parvitas; non tamen
in delectatione venerea.*

I. Quæritur primo; Quo fine ex-
ercendus sit actus conjugalis,
ut licite fiat?

Respondeo, juxta ea, quæ diximus
quæst. 3. a. 2. licitum esse usum conju-
galem, non solum ob prolis genera-
tionem, & ad vitandam conjugis in-
continentiam, (quod est indubitatum)
sed etiam ad vitandam in se incon-
tinentiam; & ad sanitatem corpora-
lem aut recuperandam, aut conser-
vandam; & ad conservandum amo-
rem cum conjugi; & ob alium quem-
cumque finem extrinsecum honestum;
ut communius docent Doctores: Non
tamen ob solam delectationem inde
capiendam: quod certe culpa venia-
li non vacat, ut constat ex proposit.
9. ab Innoc. XI. damnata. Ratio do-
ctrinæ est, quia actus conjugalis de se
non est malus, ut est de fide; ergo
licitum est eo uti ob finem honestum,
sive ipsi intrinsecum, ad quem natu-
raliter est proportionatus; sive extrin-
secum: non tamen ob solam delecta-
tionem; tum quia finis operationis
humana non debet esse bonum de-
lectabile, sed bonum honestum; &
abusus rei est, querere actum propter
delectationem illi annexam; cum
delectatio sit propter actum, non e
converso actus propter delectationem;
tum etiam, quia delectatio annexa
operi conjugali mentem absorbet,
nec liberam illam relinquit, ut se ad
Deum convertat.

II. Ex hoc autem, quod actus con-
jugalis mentem absorbeat, ac veluti
inebriet, docuit Sanch. lib. 9. disp. 9.
non vacare culpa veniali illo uti ad

vitandam propriam incontinentiam,
quando aliis mediis possumus stimu-
los carnis sedare: Sed communice
rejicitur: Hinc enim sequeretur, quod
conjuges tenerentur sub veniali jejuni-
toro, quando non est spes genera-
tionis; cum enim tenerentur sub ve-
niali non petere debitum, idcirco et-
iam sub veniali tenerentur vitare pe-
riculum proximum petendi, quod cer-
te habetur in usu ejusdem tori. Et
ratio a priori est; quia nemo tenet
vitare peccatum per medium perfe-
ctius, quando potest illud vitare per
medium ex se licitum, & honestum;
cum non detur obligatio exequendi
semper, quod perfectius est; ergo
quamvis possit aliquis sedare stimulos
carnis orationibus, & jejunii, nisi
lominus ad id non tenetur, sed por-
est illos sedare usu conjugali, qui, ut
diximus, de se licitus, & honestus
est; atque adeo ob talem finem illo
uti nulla est inordinatio, & nulla cul-
pa. Hinc Apost. 1. ad Corinth. 7.,
cum suassisset conjugibus, ut aliquan-
do ab usu conjugali abstinerent ad va-
candum orationibus, subdit: Iterum
revertimini in idipsum, ne tenet vos
Satanas propter incontinentiam vestram,
hoc autem dico secundum indulgentiam,
non secundum imperium. Quod si cul-
pa esset venialis ad vitandam incon-
tinentiam uti tali medio, non posset
Apostolus indulgere, ut ad illud re-
vertantur Conjuges.

III. Quæritur secundo; Quo tem-
pore sit illicitus actus conjugalis?

Respondeo, non esse illicitum die-
bus festis, aut jejunii, nec die com-
munionis, nec quo tempore uxor est
gravida, aut prolem laetat, aut men-
struum patitur, nec ante benedicio-
nes nuptiales; quamvis consilium sit
iis temporibus abstinere: Immo si ex
nimia carnis concupiscentia debitum
conjugale exigatur, videtur, regulari-
ter loquendo, esse veniale ad Eucha-

ristiam deinde accedere, eo quod reddatur homo minus aptus ad dispositionem ex divino præcepto requiritam ad Eucharistiam ob illam mentis evagationem. Posset tamen sine culpa veniali communicare, si aut magna solemnitas, aut jubilæum, aut alia ratio exigat accessum ad Eucharistiam; aut si conjux non petuit, sed redidit debitum, vel si recte sine illo petierit causa prolis.

IV. Quæritur tertio; Quo loco actus conjugalis sit illicitus?

Respondeo, in loco publico, seu coram aliis actum conjugalem, & tacitus impudicos inter Conjuges esse mortaliter illicitos, adhuc secluso scandalo; cum graviter rationi, decen-
tia, & honestati humanae dissonet ea coram aliis exercere; eo quod de se graviter ad venerem excitent aspicien-
tes.

Dubium est; An in loco Sacro, vel benedicto actus conjugalis sit illicitus, & sacrilegus?

Affirmant Palud., & Tolet., eo quod per illum Ecclesia polluatur. Nam in cap. final., de *Consecratione Ecclesie* dicitur: *Si Ecclesia fuerit cuiuscumque semine, aut sanguinis effusione polluta.* Alii putant, tunc solum esse illicitum, quando sine necessitate exercetur; Videtur enim esse Ecclesie injuriosus: At si conjuges longo tempore maneat in Ecclesia conclusi, poscent ad vitandam incontinentiam actum conjugalem exercere; quia non videtur in tali casu prohibitus ab Ecclesia. Ita Sanch. disp. 25., Azor., Avil. de Censuris part. 5. dub. 1.

Verius existimo cum Pontio, & Perez disp. 49. sect. 5. neque esse mortale, si conjuges in Ecclesia copulentur sine necessitate; nec Ecclesiam violari, aut pollui per actum conjugalem. Ratio est, quia nusquam id ab Ecclesia prohibetur, & in cap. cit., ubi dicitur, Ecclesia pollui per semi-

nis effusionem, sensus est de effusione semenis illicita; actus autem conjugalis non est illicitus: Sicut enim sola effusio sanguinis illicita, & inusta polluit Ecclesiam, & est sacrilega, non vero effusio justa; ita sola effusio semenis illicita eandem polluit, & est sacrilega. Ratio a priori est, quia illi actus habent speciem sacrilegii, quibus ex constitutione Ecclesiastica statutum est Ecclesiam manere pollutam, & reconciliandam esse; atqui nullum jus Ecclesiasticum statuit, locum sacrum pollui per effusionem semenis maritalem, ut late ostendit Perez loc. cit. Solum enim polluitur Ecclesia per effusionem semenis ex se illicitam, quæ sit peccatum mortale, & quæ sit publica; idest quæ ipsa confessione Rei in Judicio, vel evidenter facti in multorum notitiam de-
venit; & est quasi diffamata Eccle-
sia, & denigrata ejus reverentia, ut communiter docent cum Vafq. i. se-
cunda disp. 98., Tolet., & aliis. Et
enim sicut ob occulta crima non potest injungi penitentia publica, ne delinquens injuriose diffameretur; ita nec Ecclesia potest pollui ob delictum quodvis occultum; quia eadem inconvenientia sequentur: Si ergo duo, vel tres, vel pauci homines fac-
tent pollutionem in loco Sacro admissam, non per hoc talis Ecclesia debe-
ret reconciliari, nec peccatum illud haberet rationem Sacrilegii.

Adde, pollui Ecclesiæ per talem actum publicum factum intra corpus Ecclesie, non vero in Sacristia, aut in Cellis, seu Tribunis, ex quibus Principes, qui domos habent Ecclesie conjunctas, audiunt Sacrum, ex Sanch. loc. citat.

V. Quæritur quarto; An actus con-
jugalis sit illicitus tempore amentiae?

Respondeo, quando ambo conjuges sunt amentes, separandi sunt, ne car-
naliter conjungantur; & peccat mor-

taliter, qui eos ad copulam incitaret. Ratio est, quia concurreret ad evidens periculum malæ educationis pro lis; siquidem ea careret parentibus, a quibus educari posset; Praterquam quod facile sequeretur abortus: Sit tamen alter tantum ex conjugibus sit amens, licitum est alteri sanæ mentis petere ab illo debitum; nunquam tamen tenetur conjugi amenti debitum reddere; quia subjectum incapax usus rationis est etiam incapax tam usus dominii, quam ipsius dominii, quod supponit libertatem physicam; atque adeo invalide debitum exigit; cum debitum exigere sit usus dominii. Propter eandem rationem non tenetur conjux reddere debitum alteri coniugi ebrio; Nisi tamen ad vitandam pollutionem, aut aliud grave damnum aliquando per accidens teneretur.

VI. Quæritur quinto; An aliquando sanitatis causa, vel ad vitam tuendam, liceat procurare feminis effusionem, distillationem, aut alterationem, hoc est notabilem commotionem spirituum vitalium generationi deseruentium; saltem, si id fiat per media licita eo fine assumpta.

Respondeo, certum esse, quod nunquam id liceat; immo quod semper fit peccatum & mortale; cum dicat Apost. 1. ad Corinth. 7. Neque fornicarii, neque molles Regnum Dei possidebunt. Ratio communis est, quia instantum ad sanitatem, vel vitam tuendam licitum est mittere sanguinem, secare manum, brachium, testes, &c. quia cum haec sint partes individui, conveniens est in bonum individui ea ordinare, & velle, ut ea potius, quam totum individuum pereat: Contra vero semen non est proprie pars corporis, nec institutum ad bonum individui, sed ad prolem generandam, & propter naturæ propagationem; unde solum ad talém finem ordinari potest, non vero ad vitam, aut sa-

nitatem tuendam.

Huic rationi additur alia efficacia; quia scilicet in effusione feminis talis delectatio suboritur, ut si femel admittatur in aliquo casu eam esse licitam gratia sanitatis, vel vita, esset evidens, ac summum periculum, ne homines passione excætati passim id sibi licere persuaderent. Unde luxuria viria adversus commune bonum pullularent; quibus ut natura obviret, jure merito talem actionem negavit, etiam ad vitam tuendam. Quod tamen non militat in amputatione reliquorum membrorum; eo quod dolor maximus inde consurgens etiam a necessaria, nedum a prodiga amputatione avertit.

Sicut autem non licet procurare feminis effusionem extra actum conjugalem; ita nec licet procurare commotionem notabilem spirituum vitalium generationi, seu feminis effusioni deseruentium; quia talis commotio, seu alteratio est inchoata quedam pollutio, & ad pollutionis confluence essentialiter ordinatur. Et idem dicas de distillatione, qua per se conjuncta est cum notabili eorundem spirituum vitalium commotione. Solum licitum est, ut notat Sanch. lib. 3. disp. 17., ubi pollutio est in naturali fluxu, & in somnis capit, illam non impedit ob morbi periculum, cessante periculo consensu in delectationem; quia hoc non esset procurare, sed pati pollutionem.

VII. Quæritur sexto; An saltem motus sensualitatis aliquando culpavent?

Respondeo, certum esse, quod motus primo primi, sive sensualitatis sint, sive iracundiae, &c. non sint peccata; cum in nostra potestate non sint: Motus tamen secundo primi, qui scilicet prævideri, & caveri potuerunt, neque sunt peccata, si proveniant ex causa habente ali-

aliquam honestatem, vel utilitatem; ut quando proveniunt ex auditione peccatorum turpium in confessione, &c. quia sunt nobis connaturales, & in nobis facile oriuntur ex infirmitate naturae: Secus vero si proveniant ex causa nullam habente utilitatem, & honestatem; eo quod repugnant rationi, & incitent ad ulteriorem libidinem: Sunt tamen solum venialia peccata, si proveniant ex causa tantummodo venialiter mala, in qua prævideri, & præcaveri possunt, ut quando proveniunt ex verbis, ex lectione, vel aspectu curioso; dummodo non intendatur delectatio venerea, nec sit periculum consensus in illam. Ita Vasq., Henr., & alii apud Bonac. hic quæst. 4. punct. 7.

VIII. Dubium est, An peccet mortaliter, qui negative se habet circa tales motus sensualitatis, non impediendo, nec reprimendo illos, quando facile possunt reprimi, animum alio divertendo, etiam sine ullo gestu, aut motu corporis exteriori? Et idem queritur de cogitationibus, & delectationibus illicitis.

Respondeo, communiter Doctores docere, esse peccatum mortale non resistere positive moribus, cogitationibus, & delectationibus impuris. Ratio est, quia in moralibus quocumque voluntas non respuit, censetur illud admittere per consensum interpretativum, perinde quasi illud positive vellet; atqui positive velle tales motus, &c. circa omnem controversiam est peccatum mortale; ergo etiam negative se habere circa illos, & non resistere positive erit peccatum mortale.

Verum Pal. apud Tamb. lib. 10. in Decal. cap. 2. putat cum Cajet., Navar., Tolet. probabilius esse, quod non sit mortale illos turpes motus non reprimere; dummodo absit periculum pollutionis, aut ulterioris consensus.

Ratio est, quia cum hujusmodi motus sint naturales, & difficillimum sit omnes omnino coercere, sequeretur, quod nostra salus esset expolta periculis evidentissimis, si teneremur tales motus positive reprimere; hoc autem non est credendum de divina bonitate; ergo dicendum, quod ad id non teneamur: Aliter qui, verbi gratia, decumbens videret hos motus consurgere, deberet a cubitu abstine-re, immo surgere, & aliquando se verberare; quod videtur durissimum. Præterea quilibet deberet eorum causas removere; unde ne tales motus excitentur, deberet sub mortali abstinere a colloquio, & aspectu foeminae; quod communiter non admittitur. Hæc Pal., qui tamen fatetur cum communi esse veniale tales motus non reprimere, cum possis, nec excusationem habeas, cur non reprimas; quia negari non potest, motus hujusmodi esse deordinatos, & ad copulam incitare: Præterquamquod facile adest periculum ulterioris consensus; præsertim in iis, qui in hac materia sponte opiniones liberiores volunt sequi. Excusatio autem sufficiens non reprimendi positive esset, si actio illa, quam omittere deberes, ut reprimeres, sit tibi, vel alteri necessaria, aut utilis; ut est audire confessiones, mederi, studere, urbano loqui cum foemina, equitare, &c., hæc enim, & similia licent, etiam prævideatur secutura pollutio, dummodo non intendatur, nec sit periculum consensus.

Dices: Exercere operationes, quæ notabiliter influunt ad pollutionem, vel commotionem spirituum, secundum se est mortale; ergo etiam non reprimere spirituum commotionem; nam id (præferum in naturis calidioribus) est virtualiter eos acceptare, & velle causam notabiliter influentem in pollutionem.

Re-

Respondeo, concessu antecedente, negatur consequentia; primo, quia permittere non est acceptare, aut consentire; secundo, quia qui positive acceptat tales motus, vult causam notabiliter influentem in pollutionem; & ideo mortaliter peccat. Contra tamen qui negative se habet circa illos, non vult, quod notabiliter influant in pollutionem; quia hujusmodi motus si non acceptentur positive, non influunt notabiliter in illam; ergo quamvis sit culpa venialis, illos non reprimere positive, poterit tamen non esse mortale, si absit periculum consensus, quod in re tam lubrica non est facile declinare.

IX. Quæritur septimo; An semper fit mortale dare, vel non impedire causam pollutionis, distillationis, aut commotionis notabilis spirituum vitalium ad generationem deservientium?

Ante responsonem præmitto, duplēm dari causam pollutionis; Alteram, quæ notabiliter, & per se in illam infuit, ut est cogitatio vehementis de concubitu; (& ex Sanch., & Less. apud Tamb. lib. 7. cap. 3. §. 5. quilibet alia actio peccaminosa mortaliter in genere luxuriæ, ut sunt tactus, turpiloquia, oscula, aspectus, desideria, & alia hujusmodi, quando sunt peccata mortalia) Datur præterea altera causa pollutionis per accidens, quæ non infuit notabiliter in illam; ut est cibus, & potus superfluus, & aliae actiones, quæ in genere luxuriæ sunt solum peccatum veniale; Verbi gratia, lectio curiosa, & vana turpium, turpiloquia, representationes, cogitationes, desideria, tactus, & alia hujusmodi, quando sunt venialia, sive ex indeliberatione, sive aliunde. Quare tactus levis manus ex joco, & vanitate, loqui verba amatoria, videlicet, Cor meum, Anima mea, ad Amorem vanum, non tamen libidinosum con-

ciliandum (ut notat Dian. part. tract. 15. resol. 31.) ad pollutionem nonnisi per accidens, & raro influunt, cum sint peccata venialia, si adit periculum tam proprium, quam illius, ad quem verba diriguntur: Et idem dicas de potu calidorum, nec non de ebrietate, &c., quæ quamvis sint mortalia, cum non sint mortalia in genere luxuriæ, non dicuntur notabiliter, & per se influere in pollutionem; Unde si ex iis praivedetur securitas pollutio, & non intenditur, ne e sit periculum consensus, non erunt nisi peccatum veniale contra castitatem, ut mox dicemus. His itaque præmissis

Dico primo cum communī apud Tamb., & Dian. loc. cit. Quoties cum voluntate deliberata absque urgente necessitate, aut magna utilitate exercentur actiones ex natura sua turpes, & notabiliter influentes in pollutionem, seu per se tendentes ad actus venereo excitandos, toties peccatum mortaliter, etiamsi non intendatur pollutio prævisa, sive in somnis, sive in vigilia securita. Ratio est, quia qui deliberat vult causam, vult etiam effectum necessario, vel quasi necessario inde provenientem. Dni tamen, sine urgente necessitate, vel rationabili utilitate; nam si quis, verbi gratia, medeatur partibus veredis, excusat a culpa, quamvis prvideat inde pollutionem securaram, dummodo illam non intendat, nec sit periculum consensus.

Dico secundo; si sine necessitate, vel rationabili utilitate exerceas actiones leviter, & per accidens in pollutionem influentes, etiamsi illam prævideas, peccas solum venialiter, dummodo non intendas illam, & absit periculum consensus. Ita Vasc., Sal., Less., Bonac., Henr. apud Tamb., & Dian. loc. cit. Ratio est, quia instantum pollutio volita in causa est

ma-

mala, in quantum est mala ipsa causa; sed causa pollutionis, ut supponimus, est solum mala venialiter, saltem in genere luxuria; ergo talis etiam erit pollutio sequens, sive in somnis, sive in vigilia. Præterea, ut loquitur Sanch. lib. 9. disp. 45., obligatio vitandi pollutionem in causis, quæ per se, & proxime non ordinantur ad illam, non est obligatio gravis; eo quod non imputetur ad peccatum id, quod per accidens sequitur; cum operans illud potius patiatur, quam agat.

Hinc excusatur a culpa, etiam veniali, exercens operationes per accidens in pollutionem influentes, si bona fide illæ apparent necessariæ, vel utiles; immo etiam solum commoda sive Animæ, sive Corpori. Unde studere, audire confessiones, cubare tali situ commodo, equitare ad recreationem, vel ad negotiandum, osculari juxta morem Patriæ, ne inurbanus videaris, loqui cum sc̄minis caute, vel etiam amicabiliter sine prava intentione, ne venialia quidem peccata sunt, etiamsi in iis prævideatur pollutio secutura citra periculum consensu.

Quæ diximus de causis influentibus in pollutionem, dicas de causis influentibus in distillationem, & in commotionem spirituum; quia commotio spirituum est præparatio ad pollutionem, vel distillationem, & distillatio ut plurimum cum voluptate fit, minori tamen, quam fiat pollutio; Quod si fine ulla prorsus delectatione libidinosa contingat, non adeit obligatio tollendi ejus causas; ut iidem Doctores docent apud Tamb.

X. Quæritur ultimo; Utrum in venerea delectatione detur materia parvitas, quæ a mortali excusat?

Respondeo, docuisse nonnullos apud Mendo in Statera dissert. 5. quæst. 2. dari aliquando parvitatem materiae

in re venerea: Verbi gratia, si quis procuret levem aliquam distillationem, vel spirituum commotionem, aut si ob levem delectationem carnaleni legat libros obscenos, aut obscene loquatur, alios tangat, osculetur, &c.

Communissima tamen sententia docet, in re venerea quamcumque modicissimam delectationem deliberate quæsitam, aut admis̄am esse peccatum mortale. Unde Pater Claudius Aquaviva, & deinde Congregatio IX. decreto IX. præcepit in virtute Sanctæ obedientiæ, ne nostri contrariam sententiam docerent: Præterquam quod multi apud Mendo in Epitome V. Luxuria putarunt, contrariam sententiam a Clem. VIII. damnatam esse: Et ratio doctrinæ est, quia qualibet delectatio venerea ex se ordinatur ad copulam, a qua suam malitiam desumit, & est incitativa ad maiorem delectationem, cum fiat ex motu seminis, & commotione spirituum vitalium generationi deservientium; ergo qualibet modicissima delectatio venerea est peccatum mortale; Sicuti enim qui positus supra præcipitem, & lubricam viam, si vellet quatuor tantum paſſus descendere, & non amplius, exponeret se periculo manifesto ruendi in præcepis, ob sumam difficultatem fistendi gradum in proclivi; Ita qui querit, aut acceptat quamcumque modicam venereum delectationem, amat periculum manifestum labendi ulterius in maiorem delectationem, ob sumam difficultatem fistendi gradum in via tam lubrica, & præcipiti; & idcirco mortaliter peccat: Nam, ut ait Scriptura, *Qui amat periculum, peribit in illo*; Et propterea oppositam sententiam Verlicelli apud Mendo in statera vocat omnino improbabilem, temerariam, scandalosam, ac forte graviore censura dignam. Hinc proscripta

pta fuit ab Alex. VII. thesis 40. quæ habet: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Esto enim proscripta hæc thesis non sit eadem cum thesi, quam impugnamus; ex ea tamen videtur satis colligi hujus improbabilitas.

XI. Notandum itaque, delectationem venereum a non venerea in hoc discriminari, quod venerea sentitur in carne cum commotione spirituum vitalium circa partes libidinosas, eo quod oriatur ex motu seminis descendenter ad partes obscenæ: Contra vero non venerea habetur ex yisu, tactu, &c. ob proportionem, & connaturalitatem objecti cum organo talium potentiarum; ut quando videatur hortus, ædificium, aut alia res pulchra, vel quando tangitur flos, aut alia res blanda: Quare si consimilis delectatio haberetur in visu faciei alicujus foeminae, quæ habetur in visu pulchræ picturæ, certe non esset peccatum, salem mortale, sic in tali aspectu delectari. Sed difficillimum est ad tales aspectus non commoveri spiritus, & non subnasci delectationem venereum circa partes libidinosas; nam sicut palea ad præsentiam ignis statim incenditur, quia ignis est virtus physica, quæ ad præsentiam passi dispositi non potest non agere; ita ad aspectum aliquorum objectorum physice noster sanguis ebullit, & spiritus commovenitur, ita ut impossibile sit non sentire delectationem venereum: Quis enim adeo stipes, & truncus, ut citra hanc delectationem posset inspicere partes obscenæ alterius sexus humani? Quare sicut inspicere tales partes data opera, procul dubio est peccatum mortale; quia per se talis aspectus influit in delectationem venereum, & im-

possibile est illam non sentire; ita prorsus si inspiciendo yultum foeminae consimilis delectatio venerea sentiatur, procul dubio erit pariter mortale illam admirare, aut procurare; quamvis talis aspectus non per se influat in delectationem venereum, sicut aspectus partium obscenarum. Quod si absque tali delectatione, & abique periculo foemina inspiciatur, peccatum mortale non committitur; & plenumque nec veniale, si nec periculum leve sit ullius culpæ: Sicut etiam nec veniale peccatum committitur, si ob finem honestum ea fiant, ex quibus motus sensualitatis, & commotio spirituum consurgunt, delectatio tamen venerea nec queratur, nec admittatur.

XII. Demum advertit Mendo in Epitome loc. cit., quod stringere, verbi gratia, pedem foeminae, tangere ejus manum, necnon ex curiositate cernere congressum animalium, aut eorum pudenda tangere, & similia, si fiant, quando leviter influunt in delectationem, aut sunt leve periculum illius, sint dumtaxat peccatum veniale in communi sententia, eo quod leve periculum peccati gravis non possit esse peccatum grave. Hinc tamen non sequitur, dari parvitatem materiæ in delectatione venerea, cum supponamus in talibus actionibus nullam omnino venereum delectationem aut intendi, aut admitti posse. Immo neque sequitur, dari parvitatem materiæ in re venerea; nam hujusmodi actiones sic explicatae non debent dici res venereæ, ut multi docent: Quod si cum nonnullis dicatur, hujusmodi actiones esse res ex objecto venereas, concedi potest in tali sensu, dari in re venerea parvitatem materiæ cum Carden., Sanch., Gran., & aliis; dummodo fixum sit, in delectatione venerea parvitatem materiæ non dari.

AR.

ARTICULUS II.

De Obligatione actus Conjugalis.

I. Num conjux teneatur aliquando debitum petere?

II. Quandonam vasat lethali culpa negare debitum conjugi illud petenti?

III. Non teneatur conjux cum gravi suo detrimento reddere debitum, etiam si alteri immineat periculum incontinentiae.

IV. Secluso hoc periculo non peccat, qui debitum negat, ne prolem multiplicet, quam sustentare non potest.

V. Tenetur uxor a jejunis abstinere, quando aliter nequit cum reciproco amore convivere cum mariuo.

VI. Quandonam licite debitum redditur illicite petenti?

VII. Qui reddit debitum conjugi habenti votum castitatis, licet cooperetur actu sacrilego, non peccat, quia actus est solum sacrilegus ex parte petentis, non vero ex parte ipsius actus.

VIII. Cur non possimus similiter ministrare carnes habenti votum jejunandi? Aut reddere gladium Domino furioso?

IX. Quare non licet reddere debitum cum gravi damno temporali petentis, & tamen licitum est illud reddere, quando sacrilege petitur cum gravissimo ipsius petentis damno spirituali?

X. Tenetur conjux debitum reddere, etiam quando actus est solum venialiter ratione sui illicitus.

I. **Q**uaritur primo; An conjux teneatur aliquando petere debitum?

Respondeo per se loquendo nunquam teneri; cum possit cedere juri, quod habet: Per accidens tamen aliquando tenetur; ut si credat alias con-

Pars VII.

jugi periculum imminere incontinentiae, quod petendo debitum possit avertere; immo tenetur etiam ex justitia petere, quando prævidet periculum incontinentiae in conjugi, quæ præverecundia expresse non petit, quamvis appetat copulam: Etenim in tali casu petitio esset potius redditio debiti implicite illud petenti.

II. Quaritur secundo; An semper teneatur sub mortali conjux reddere debitum petenti?

Respondeo, per se loquendo teneri sub mortali reddere, etiam petenti implicite, & interpretative; quia lex iustitiae præcipit reddere unicuique, quod suum est, quomodolibet petatur, sive verbis, sive factis, sive signis; Copula autem est res gravis; ergo sub mortali redditio debiti præcipitur: Præsertim quia si negetur, exoriuntur sæpe discordiae, & non raro adest periculum incontinentiae in petente. Unde Pal. disp. 3. punct. 4. putat, etiam semel negare serio petenti, immo etiam differre redditio nem, esse peccatum mortale. Verum Pont. lib. 10. cap. 2., Perez, Tamb. lib. 7. in Decal. cap. 3. §. 5. putant, excusari a mortali; Primo, qui non sæpe, sed una, vel altera vice negat. Secundo, qui negat petenti precibus, & blanditiis, vel ita remisse petenti, ut facile desistat. Tertio, qui parvo tempore differt redditionem, ut si petenti nocte reddatur mane, aut petenti mane reddatur sequenti nocte, ut notavit Hurt. disp. 10. diff. 11. Et ratio est, quia in his casibus vel nulla, vel levis est injuria; unde si absit periculum incontinentiae, solum esset veniale. Adde, non esse mortale, negare debitum ei, qui precibus illud petit, non tanquam debitum, nec animo obligandi, sed benevole, & amice: Sicut non peccat debitor, qui differt solutionem, quando debitum pecuniarium petitur amice, eo quod

Y cen.

censeatur creditor non ferre graviter dilationem; Tamen si ex verecundia conjux non audet aliter debitum petere, tunc mortale esset illud negare.

Notandum præterea, petitionem debiti, ut obliget, debere esse moderatam; Aliter esset magna servitus; & frequentia copulae valetudinem læderet; Nec censentur conjuges ad nimis importunam, & immoderatam redditionem se obligasse, ut notat Con. disp. 34. dub. 2. sed solum ad ordinarium, communemque modum, qui arbitrio prudentis dimetiendus est, spectata ætate, viribus, & sanitate conjugum. Hinc fit, quod neque peccet non reddens, quando ex redditione, etiam moderata, imminent rationabile periculum siæ salutis, vel morbi gallici, &c., aut si petatur, dum febri, aut alio dolore gravi laborat, unde immineat probabile periculum damni notabilis.

III. Idque verum est, etiamsi pententi immineat periculum incontinentiæ; ut notarunt Sanch. disp. 24. & Con. dub. 3. Ratio est, quia nemo tenetur cum tanto detimento vitare peccatum alterius. Et ratio ulterior est, quia ordo charitatis tunc postulat, ut præferatur bonum spirituale alterius propriæ saluti corporali, immo etiam vita, quando vel habetur extrema necessitas in paciente periculum spirituale, aut habetur necessitas gravis, & qui subvenire debet, sit Prælatus; at in casu nostro neutrum habetur; neque enim in pentente habetur extrema necessitas, cum possit aliis mediis subvenire illi periculo incontinentiæ; & si haberet gravem necessitatem, alter conjux non est Prælatus, qui teneatur subvenire.

IV. Demum non peccat, qui secluso periculo incontinentiæ negat debitum, præcise ne multiplicit prolem, quam sustentare nullo modo potest;

Sicut enim in aliis debitibus magnam commoditas excusat a solutione, ita hic; ut docent Bonac., Perez contra Con. dub. 3.

V. Quæritur tertio; An conjux tenetur omittere jejunia Ecclesiastica, si jejunando non possit reddere debitum moderate petenti?

Respondeo affirmative; prævalet enim præceptum justitiae præcepto Ecclesiastico: Et ob eandem rationem tenetur jejunia omittere Uxor, si jejunando ita pallida, & deformis evadat, ut rationabiliter timeat ea de causa odiosam se futuram marito, & avertendum conjugis animum ab ipsa ad alias quærendas. Ita Perez disp. 50.: Ubi ex Sanch., & Lopez contra Pont. docet, idem dicendum de femina volente nubere; hæc enim si jejunando ita deformis reddatur, ut multo difficilius nubat, excusatur a jejunio; quia præceptum Ecclesiæ non obligat cum gravi damno. Demum Le-desim., Azor., Sanch., Navar. docent, uxorem debere a jejunis Ecclesiasticis desistere ob præceptum mariti, si aliter notabiles discordiæ, & rixæ orientur. Ratio est, quia quavis maritus non habeat dominium in uxorem relate ad præcepta Ecclesiastica, sicut habet relate ad jejunia, ad quæ illa sponte vovendo se astrinxit; tamen quando ex jejunis Ecclesiasticis notabiles discordiæ orientur, non tenetur jejunare; tum quia præcepta positiva non obligant cum scandalo, ex cap. Nihil cum scandalo, De præscriptionibus; tum etiam quia mutuus amor conjugum necessarius ad vitam conjugalem quiete traducendam, tamquam ex vinculo justitiae ortus, præferendus est illis: Quod tamen intelligendum, nisi in contemptum jejunii Ecclesiastici id præcipiat maritus; tunc enim vita potius exponenda est, quam jejunium omittendum.

VI. Quæritur quarto; An liceat red-

da-

datur debitum illicite petenti?

Respondeo cum Bonac. quæst 4 punct. 3., Perez, Sanch., petitionem debiti dupliciter posse esse illicitam. Primo, propter circumstantiam aliquam i.e. tenentem ex parte actus; ut cum petitur debitum in loco publico, vel cum periculo impediendi prolem, vel cum periculo mortis fœtus, vel cum aliqua circumstantia indebita. Secundo, propter circumstantiam aliquam se tenentem ex parte personæ; ut si quis petat debitum ob pravum finem animo fornicario, aut habens votum castitatis, &c. Nunc sic: Quando petitio debiti est illicita primo modo, conjux, a quopetitur, non potest reddere; quia non potest concurrere ad actum de se illicitum: Quando vero petitio est illicita secundo modo, potest, & tenetur debitum reddere; quia per accidens est, quod petitio illa debiti, & ipse actus sit illicitus; & reddens, quantum est ex se, tantum cooperatur actui licto. Quod patet a simili: Nam si Creditor petat a me pecuniam suam, teneor illam solvere, quamvis sciam, illum ea abusurum ad fornicandum; seu quamvis sciam, quod habeat votum non petendi illam; & ad summum tunc teneor praemittere correctionem fraternalm ex lege charitatis, vel differre solutionem debiti, si possum impedire peccatum proximi sine magno meo, aut illius incommmodo. Ratio est, quia tenemur impedire damnum spirituale proximi, etiam cum aliquo incommodo temporali; sicut tenemur ex lege charitatis differre redditionem gladii Domino furioso, nec fit illi injuria, cum salubriter ejus negotium agatur. Quare idem dicendum in casu nostro, si conjux astriclus voto castitatis illicite petat debitum, quamvis peccet petendo: Quia tamen per votum non amisit jus petendi, ideo tenetur alter debitum reddere saltem post fraternalm

correctionem; aut si non potest com mode differre debiti redditionem. Ratio est; quia in tali casu non cooperatur peccato illius formaliter, sed materialiter; solum enim cooperatur a&qui, qui, quantum est ex se, licitus est, & solum est illicitus petenti ex sua malitia, eo quod male ipsum petat, antequam dispensetur in voto.

Propter eandem rationem licitum est, necessitate urgente, petere Sacramentum Confessionis a Confessario, quem scio esse in mortali, & petere mutuum ab usurario; quia scilicet petitur Sacramentum, quod licite conferri potest a tali Confessario, si præmittat actum contritionis; & petitur mutuum, quod licite dari potest, si non exigantur usurae: Licite etiam solvuntur usurae, quia actus dandi illas de se non est malus; actus vero recipiendi usuras est malus ex malitia recipientis, qui vult retinere, quod datur ultra sortem, perinde quasi lucrum cessasset, aut damnum ex mutuo emersisset, quæ revera non acciderunt.

VII. Oppones: Conjux astriclus voto castitatis petendo debitum, petit actum sacrilegum; ergo non potest alter conjux licite reddere; quia cooperaretur sacrilegio; Sicuti non potest reddere debitum conjugi petenti illud in loco publico.

Confirmatur primo. Si Titius habens votum jejunandi die Jovis petat a me carnes, non possum illas administrare, quamvis petitio sit illicita tantum ex circumstantia personæ habentis votum; ergo pariter si alter conjux habens votum castitatis petat debitum, non potest illi reddi, quamvis petitio eodem modo sit illicita ex circumstantia personæ.

Confirmatur secundo; Si quis suum gladium apud me depositum petat ad occidendum injuste alterum, non possum illi reddere gladium suum; ergo

neque possum reddere debitum illicite petenti.

Respondeo, verum quidem esse, quod talis actus sit sacrilegus, sed est sacrilegus ex parte petentis, non ex parte redditis; Sicut Crucifixio Christi Domini fuit sacrilega ex parte Crucifigentium, non ex parte Crucifixi, nec ex parte Dei permittentis talem crucifixionem: Contra vero, quoties actus est illicitus non ex circumstantia personæ, sed ex circumstantia se tenente ex parte actus, tunc actus est simpliciter illicitus; & idcirco neque peti, neque reddi potest debitum conjugale, verbi gratia, in loco publico. Et propter eandem rationes non licet petere extra casum extremæ necessitatis Sacramentum Pœnitentiae ab excommunicato vitando; quia tale Sacramentum ex defectu jurisdictionis in absolvente extra casum extremæ necessitatis est nullum, atque adeo illicite petitur: Nec licet ministrare carnes die veneris, quia comesatio carnis ex se est illicita tali die, & non ex circumstantia personæ.

VIII. Ad primam confirmationem concessio antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia Titius nullum habet jus petendi a me carnes; ergo administratio carnium non co-honestatur ab obligatione illas administrandi; sicut co-honestatur redditio debiti: Quare ad summum ex charitate deberet conjux præmittere, ut diximus, correctionem fraternalm, aut aliquantisper differre debiti redditio-nem, si non oriuntur inde discordia; eo quod teneamus impeditre damnum spirituale proximi, etiam cum aliquo ipsius incommodo temporali.

Ad secundam confirmationem, concessio pariter antecedente, negatur consequentia: In primo enim casu reddendo gladium facrem injuriam alteri, quem ille vult occidere; & id eo teneor non reddere, ex jure,

quod habet alter, ne occidatur, & ne ego concurrat ad ejus occisionem: Contra in secundo casu conjux reddendo debitum nulli facit injuriam, & ideo tenetur reddere, sicut tenetur reddere gladium domino, qui habens votum non petendi illum, ad hue sacrilege petit.

IX. Instabis: Bonum spirituale praefat bono corporali; atqui propter bonum corporale alterius non licet reddere debitum, puta si reddendo debitum sequatur grave damnum ipsi petenti, vel proli, vel alteri; ergo a fortiori non licet reddere debitum in casu nostro propter bonum Animæ petentis, cuius peccatum caveratur, non reddendo debitum.

Respondeo, consequiam non sequi. Disparitas autem est, primo quia in casu nostro negando debitum non caveratur peccatum petentis, quia iam ille peccavit petendo, sed solum impeditur actus externus, qui nullam malitiam addit supra peccatum internum, ut communius docent Theologi; unde nihil mirum, si ad cavingum grave malum temporale petentis tenetur conjux, a quo petitur debitus, illud non reddere; secus vero tenetur reddere in casu nostro, ubi non reddendo impeditur solum actus externus peccaminosus, non vero peccatum internum. Secundo ex Bonac, & Sanch, intantum non potest reddi debitum cum periculo damni corporalis vel petentis, vel proli, in quantum nemo habet dominium morale in corpus proprium, aut alterius; nemo enim potest sibi, vel alteri vitam tollere, aut membrum sine causa absindere; unde sic non potest conjux petere cum periculo corporis proprio, aut alterius; ita nec alter tenetur reddere: Contra vero homo supra animam suam habet dominium morale, eo quod Deus reliquerit animam in manu consilii hominis; & id eo

eo conjux potest, & tenetur reddere debitum petenti illicite cum damno spirituali animæ suæ, cuius dominium morale habet; quamvis non possit reddere debitum petenti illicite cum periculo gravi damni sui corporis, cuius dominium morale non habet.

X. Advertit demum Sanch., quod si petens debitum illicite sit tantum reus culpe venialis, semper teneatur alter reddere, quamvis petitio debiti sit illicita ex parte ipsius actus, & non ex circumstantia dumtaxat personæ. Ratio est, quia redditio debiti de se non est mala, & in tali casu instantum est malum venialiter, in quantum reddens debitum cooperatur peccato veniali illicite petentis; atqui reddens debitum habet iustam causam, qua excusat a peccato veniali talis cooperationis, ne scilicet dispiceat petenti; ergo sine veniali culpa potest reddere, sive petitio sit venialiter illicita ex circumstantia personæ, sive ex circumstantia actus. Ita Sanch. contra Bonac. quæst. 4 punct. 3, qui putat esse veniale reddere debitum cum peccato veniali ex circumstantia actus.

ARTICULUS III.

De iis, que impediunt usum matrimonii.

I. Quatuor sunt, que privant jure petendi debitum.

II. Africtus voto castitatis nequit debitum petere, nisi quando petitio esset positus redditio; aut si aliter prævideretur in altero periculum incontinentia.

III. Num vorum castitatis a viro emisum invita uxore sit irrum? Etiam si non sit irrum, probabiliter potest illud ab uxore irruari.

IV. Habens vorum castitatis num tecum post matrimonium ratum in-

gredi Religionem, ne se exponat periculo petendi debitum?

V. Si post matrimonium superveniat coniugi cognatio spiritualis, non privat jure petendi debitum. At si superveniat affinitas, solum conjux incestuoso eo privat. Possuntque Religiosi Privilegiati in hoc dispensare.

VI. Hac pena non incurritur ab incestuoso habente ignorantiam sive juris, sive facti; Nec ab incestuoso, qui propriam consanguineam cognovit.

VII. Coniux certus de nullitate matrimonii, quamvis id probare non possit, & censuris adigatur ad debitum reddendum, nequitquam potest illud reddere.

VIII. Quicquid sit, an possit Index damnare illum, quem scit esse innocentem, & secundum allegata, & probata est mortis reus.

IX. Dubitans de validitate matrimonii jam contracti nequit debitum petere, anequam diligentiam adhibeat, licet post primum bimestre teneatur reddere. At si dubium vinci non potest, licitum erit etiam petere, dummodo bona fide contraxerit.

X. Quod si uterque coniux dubitet, nenter potest petere, nec reddere ante diligentiam.

XI. Habens opinionem probabilem de invaliditate matrimonii sine probabilitate de ejus valore, petere debitum non potest: secus vero si n. trinque detur probabilitas.

XII. Num licet cum opinione solum probabili de carentia impedimenti matrimonium contrahere?

I. Eamus hactenus de actu coniugali licto, & obligatoriorum agendum nunc de iis, que privant jure petendi debitum: Hujusmodi sunt Votum castitatis, Cognatio spiritualis, & affinitas post matrimonium orta; nec-

necnon dubium de valore matrimonii.

II. Quæritur itaque primo; An votum castitatis conjugis impedit petitionem ac redditionem debiti?

Respondeo cum communi, conjugem astrictum voto castitatis non posse petere debitum, debere tamen reddere. Prima pars patet, quia votum castitatis fert secum obligationem abstinendi ab omni actu venereo; ergo qui castitatem vovit, non potest petere debitum; & conjugi defuncto, tenetur omnino castitatem servare. Secunda pars probatur, quia vinculum iustitiae fortius est vinculo voti; cum non acceptetur a Deo promissio rei alterius; atqui per matrimonium contractum acquisivit alter jus in corpus voventis; ergo non potest votum tali juri prejudicare; & consequenter qui vovit castitatem, tenetur debitum reddere conjugi petenti. Hoc tamen intelligendum est post primum bimestre; nam intra primum bimestre, cum nemo teneatur reddere, consequenter nec potest licite reddere qui vovit castitatem: Si tamen intra primum bimestre prima vice consummaverit matrimonium, tenetur deinde semper reddere petenti.

Notat tamen Sanch., & Perez, quod quamvis qui vovit castitatem, non possit alterum provocare, ut petat; quia sic indirecte ipse peteret; tamen quando vir, verbi gratia, obstrictus voto probabiliter putat, in Uxore non audente præ verecundia petere esse voluntatem petendi, potest ipse directe petere, eo quod talis petitio esset revera redditio debiti posita petitione interpretativa Uxor. Et sane matrimonium esset uxori nimis grave, & onerosum, si semper deberet ipsa petere: Quare ad vitandum hoc inconveniens potest vir voto obstrictus offerre se illi ad usum conjugalem, quando prudenter judi-

cat ab ea copulam appeti: Præsertim si in illa prævideat periculum incontinentiæ; nam votum non obligat ad non petendum, cum impedio ruina alterius conjugis. Quod si vir vovit castitatem cum consensu uxoris renunciantis juri suo, certe nunquam poterit se illi offerre ad usum conjugalem gratia non reddendi matrimonium onerosum; cum uxori dando illam licentiam, cesserit juri suo.

III. Docuit D. Th. in 4. disp. 32., Palud., Sot., & alii apud Con. disp. 34. dub. 6. votum castitatis emissum post matrimonium consummatum esse omnino irritum, præsertim si fiat a viro; quia cederet in grave præjudicium Uxor, cui ob innatam verecundiam grave est, si semper debeat petere, quoties matrimonii usum appetit. Sed communius cum Sanch. disp. 35., Perez, & aliis docent, esse validum, etiam si fiat sine licentia conjugis. Quod patet ex cap. *Quidam 3. de Conversione Conjugarum*, ubi decernitur, professionem factam a viro, renuente uxore, esse nullam; at obligari voventem ad votum castitatis in ea professione emisum, inquantum se potuit obligare. Potest tamen conjux alterius conjugis votum castitatis irritare indirecte, quatenus materia talis voti est circa rem sibi subjectam, ut probabiliter docet Illung apud Croix de voto num. 102.

IV. Quæritur secundo; An qui vovit castitatem ante matrimonium, vel post matrimonium ratum, teneatur ingredi Religionem, ut votum servet adæquate?

Respondeo cum communiori negative, contra quamplures apud Con. disp. 34. sect. 5. Ratio est, quia ad servandum votum nemo tenetur afflumere medium, quod sit difficilis ipsa re, quam vovit; Verbi gratia si quis voveret peregrinationem Lautetam,

nam, & deinde transferret in Indias suum domicilium, quamvis peccaret transferendo domicilium sine causa ante impletionem voti, tamen non teneretur amplius ex Indiis peregrinari Lauretum; quia esset nimis durum, & moraliter impossibile, votum illud implere. Hinc *Ioan. 22. in Extrav. Antiqua concordationi* statuit, voventem juxta casum adductum castitatem inducendum quidem, sed non compellendum ad Religionem ingredendam. Quod si videret, se esse in proximo periculo violandi votum, nisi Religionem ingrederetur, posset tali periculo occurrere, petendo dispensationem, aut orationibus, jejuniis, elemosynis compescendo stimulos carnis.

V. Quæritur tertio; An cognatio spiritualis, vel affinitas supervenientes matrimonio impediunt usum illius?

Respondeo, quod si post contractum matrimonium superveniat cognatio spiritualis cum altero coniuge, per hoc scilicet quod alter baptizet, vel suscipiat in baptismō, aut in confirmatione filium communem, aut filium alterius conjugis, neuter privatur jure petendi, vel reddendi debitum. Ratio est, quia vel id factum fuit ex necessitate, & non est æquum, ut aliquis suo jure privetur per hoc, quod satisfaciat suæ obligationi: vel id factum fuit extra casum necessitatis, & quamvis certum sit, quod mortaliter peccaverit, qui sine necessitate baptizavit, aut suscepit filium suæ conjugis, tamen probabiliter docent Sanch. lib. 9. disp. 26., & Contra Guttier, Henr., Ledesm., & alios, quod iste talis non privetur jure petendi debitum, quia ex nullo textu id clare colligitur; & in odiosis mitior pars accipienda est. Si vero post contractum matrimonium superveniat affinitas, per hoc videlicet

quod alter conjux incestuose cognoscat alterius consanguineum, vel consanguineam in primo, vel in secundo gradu, in tali casu conjux innocens potest petere, ac reddere debitum, conjux vero incestuosus potest solum reddere, non tamen petere, ex Cap. 1. de eo, qui cognovit consanguineam, quamvis Religiosi privilegiati possint in hoc dispensare.

Notandum tamen cum Bonac. quæst. 4. punct. 2., quod si quis commisit talem incestum ex metu gravi injuste incusso, non privetur jure petendi debitum. Ratio est, quia sicuti hujusmodi metus excusat ab incurriendis censuris; ita etiam excusat ab incurrenda poena privationis debiti. Etenim Ecclesia non punit suis gravibus poenis eos, qui ex tali metu transgre- diuntur legem suam, eo quod nolit suam legem in tali casu obligare; atque adeo quamvis iste incestuosus peccet contra legem Dei, non peccat contra legem Ecclesiae, & sic non incurrit poenam ab Ecclesia latam, quod privetur jure petendi debitum.

VI. Notandum secundo cum eodem Bonac., nec incurri talem poenam ab incestuoso habente ignorantiam sive juris, sive facti, sive talis poena: Sicut nec incurritur censura, & in communiori sententia nec Irregularitas orta ex delicto ab habente aliquam ex ipsis ignorantias. Dicitur autem habere ignorantiam juris, qui ignorat talem incestum esse prohibitum etiam ex lege positiva humana, & non ex solo jure naturæ: Habet ignorantiam facti, qui ignorat hanc esse suæ uxoris consanguineam: Habet demum ignorantiam poenæ, qui ignorat hanc poenam esse impositam tali incestui, quod scilicet incestuosus privetur jure petendi debitum. Ratio vero doctrinæ est, tum quia jura prohibent petitionem debiti, quando contracto matrimonio scienter contrahitur

tur affinitas, ex cap. i. de eo, qui cognovit consanguineam; tum etiam, quia minor est contemptus contra legem, quando violatur lex continens graves penas iis ignoratis, quam illis cognitis; ergo æquum non est, ut transgressor subjiciatur iis penis, quas ignoravit, quibus subjicitur, qui eas non ignoravit; Alioquin quantitas poena non proportionaretur quantitatibus delicti, ut advertunt Navar., & Sanch. lib. 9. disp. 31.

Notandum ultimo, quod quamvis Incestuosus, qui cognovit consanguineam suæ conjugis in primo, vel secundo gradu privetur jure petendi debitum, incestuosus tamen, qui cognovit propriam consanguineam, licet gravius peccarit, non privatur tamen tali jure. Et ratio est, tum quia ille solus incestus parit affinitatem cum conjugi; tum etiam, quia illi solum delicto, quod facilius accidere potest, talis poena est imposita a lege positiva humana.

VII. Quæritur quarto; Utrum conjux certus de nullitate matrimonii possit licite reddere debitum, si nullitatem probare non possit, & ad reddendum debitum compellatur sub excommunicatione?

Respondeo, id affirmare Magistrum sententiarum, & Hugonem de Sancto Victore apud Con. dub. 10. Primo, quia conjux, qui est in bona fide, habet jus petendi debitum: ergo alter tenetur reddere, quamvis certus sit de nullitate matrimonii. Secundo, quia ex duabus malis minus est eligendum; atqui minus malum est reddere debitum in tali casu, quam contra justitiam, & Ecclesiæ præceptum cum scandalio negare petenti debitum, & nolle cohabitare cum illo; ergo Tertio, non est minus malum occidere innocentem, quam fornicari; sed iudex licite occidit, quem privatum novit innocentem, si

publice probatus sit nocens, & reus, juxta probabilem doctrinam Thomistarum; ergo conjux parvotriter licet reddit debitum ei, qui publice probatur esse ejus conjux, quamvis privatim sciat, matrimonium esse nullum. Quarto, Sacerdos tenetur dare Eucharistiam peccatori petenti illam publice, quamvis occulte, & privatim sciat esse indignum; eo quod ille habeat jus petendi; ergo pariter conjux, qui scit occulte, matrimonium esse nullum, tenetur reddere debitum, quando alter bona fide petit, eo quod habeat jus petendi.

Communis tamen sententia negat posse in tali casu debitum reddi; quia fornicari est intrinsece malum, nec sunt facienda mala, unde veniant bona. Quare in tali casu qui compellitur sub excommunicatione ad reddendum debitum, vel debet fugere, vel petere dispensationem, & iterum valide contrahere; vel si nihil possit, tam excommunicationem, quamque libet alia incommoda patienter, & humiliiter sustinere debet, ut dicitur in cap. Inquisitioni 44. de Sententia Excommunicationis.

Ad primam rationem in contrarium respondet, conjugem, qui est in bona fide, habere jus petendi debitum dumtaxat apparenſ, non verum jus: Sicuti si publice probaretur Titium debere Petro mille, quæ vera non debet, Petrus haberet ius tantum apparenſ; unde Titius in conscientia non teneretur solvere, aut si ad vitandum scandalum solveret, posset occulte repetere.

Ad secundam, negatur in casu nostro concurrere duo mala incompatibilia; posita enim scientia nullitatis matrimonii, negando debitum, nec injustitia committitur, nec inobedientia Ecclesiæ præcepto; cum Ecclesia non possit præcipere peccatum. Quod spectat ad scandalum, non fit,

ret, sed permitteretur: permitti autem potius debent quævis mala, quam committi peccatum.

VIII. Ad tertiam dico cum Less. de justitia cap. 29. dub. 10. ex Scotistis communiter, in utroque casu idem sentendum: Quare non licet Judicii damnare probatum Reum, quem privata notitia cognoscit innocentem. Dato autem, quod id liceat juxta contrariam opinionem Thomistarum, negatur consequentia. Disparitas est, quia propter commune bonum, & tranquillitatem Republicæ licitum est condemnare tales innocentem; quia bono vitaे particularis præponderat bonum commune, & Tribunalum debitum tenor: Sicut enim Respublica habet aliquando dominium in bona, ita forte etiam in vitam Civium, quando expedit bono publico, quod enucleatus discutiemus in de Censuris quest. 1. art. 6. At Respublica non habet dominium in corpus ullius in ordine ad usum conjugalem, cum vix accidere possit, quod hoc sit necessarium ad bonum publicum; & ideo non licet in casu nostro reddere debitum, quodcumque scandalum, vel damnum sequatur.

Ad quartam, concesso antecedente, negatur consequentia; Peccator enim occultus habet verum jus justitiae tenuidi famam suam, seu ne publice infametur, negata sibi Eucharistia: Contra vero conjux ille non habet verum jus petendi debitum, sed habet tantum jus apparenс, posita matrimonii invaliditate.

IX. Quæritur quinto; An dubius de valore matrimonii possit licite debitum petere, aut reddere?

Respondeo, & dico primo: Si post matrimonium bona fide contractum suboriatur scrupulus ex levibus indiciis de validitate matrimonii, potest uterque debitum petere, ac reddere; Ratio est, tum quia scrupulus non est

Pars VII.

sufficiens ratio ad privandum hominem jure suo; tum etiam, quia idem est judicium fori externi, & interni, quando forum externum non nititur falsa præsumptione; atqui in foro externo Judex per sententiam in casu nostro judicaret, quod possit peti, ac debeat reddi debitum; ergo idem judicandum est in foro conscientiae.

Dico secundo: Qui bona fide contraxit matrimonium, & deinde dubitat de ejus valore, (verbigratia, quia dubitat an prior uxor sit superstes,) antequam adhibeat diligentiam ad assequendam veritatem, non potest petere debitum, ut patet; quia se exponeret periculo fornicandi. Debet tamen reddere debitum alteri conjugi non dubitanti de valore matrimonii. Ratio est, tum quia alter conjux habet jus petendi, & est in possessione; ergo non reddendo fit contra jus illius, & peccatur contra justitiam: tum etiam, quia concurrentibus duabus malis minus est eligendum; atqui in casu nostro si reddatur debitum, reddens exponit se periculo peccandi contra castitatem; si vero non reddatur, exponit se periculo peccandi contra justitiam; & minus malum est ceteris paribus peccatum contra castitatem, quam contra justitiam; ergo reddendum potius debitum, quam non reddendum ante adhibitam diligentiam: Post adhibitam vero diligentiam, si adhuc dubium perseveret, potest etiam peti debitum, quia in dubio melior est conditio possidentis; possidet autem in casu nostro matrimonium.

X. Ex dictis sequitur primo, quod si uterque conjux dubitet de valore matrimonii, neuter possit petere, nec reddere, antequam adhibeat diligentiam ad veritatem assequendam. Ratio est, quia instantum posset reddi debitum, inquantum alter habet jus petendi; sed in casu nostro neuter

Z ter

ter habet jus petendi; ergo neuter potest reddere.

Sequitur secundo, quod si solus petens debitum dubitet de valore matrimonii, non teneatur alter debitum reddere ante diligentiam adhibitam; cum neque in tali casu petens habeat jus petendi.

Sequitur tertio, quod in primo bimestri ante consummationem matrimonii nec possit reddi debitum petenti cum tali dubio ante diligentiam præmissam, quia neque petens habet jus petendi in tali bimestri; unde non sit contra justitiam, si debitum negetur.

Dico tertio, qui mala fide contraxit matrimonium dubius de aliquo impedimento dirimente, non potest petere debitum, etiam post adhibitam diligentiam, si dubium adhuc perseveret. Ratio est, quia possessio mala fide incepta non tribuit jus, ut docent communiter Doctores, cum de Contractibus: Et qui mala fide coepit rem possidere, non potest illa uti, aut eam sibi retinere; ut docent etiam communiter Doctores, cum de restitutione; ergo qui mala fide contraxit matrimonium, non potest illo uti. Tenetur tamen reddere debitum ei, qui bona fide contraxit; quia hic habet jus petendi, nec potest eo spoliari per malam fidem alterius, ut docent Con., Bonac., Sanch. lib. 2. disp. 42. Si tamen uterque mala fide contraxit, neuter potest petere, aut reddere debitum; cum neuter habeat jus petendi.

XI. Dico ultimo; Qui post matrimonium bona, vel mala fide contractum incipit opinari, seu habere opinionem probabilem de invaliditate matrimonii, quin detur ulla probabilitas de ejus valore, non potest petere debitum, antequam ulterius de valore Matrimonii certificetur. Ita communiter cum Perez, Bonac., Sanch.

disp. 44. Ratio est, quia quamvis possessio suffragetur dubitanti, non tamen opinanti in contrarium; ergo si etiam post adhibitam diligentiam ad veritatem assequendam, adhuc probabile est, matrimonium esse nullum, necnulla probabilitas datur de valore matrimonii, qui hanc opinionem habet, non potest petere debitum; quamvis possit, & teneatur reddere, si alter bona fide contraxit; cum neque possit spoliari jure suo, & re, quam possidet per solam probabilitatem alterius, quod res illa sit illius, nisi certo id constet; ergo nisi certo constet matrimonium fuisse nullum, qui bona fide contraxit, & possidet matrimonium, non potest spoliari jure petendi debitum per solam opinionem alterius de nullitate matrimonii: Quare cum ille habeat jus petendi, alter tenetur reddere: Si tamen uterque habeat opinionem probabilem de nullitate matrimonii, neuter potest petere, aut reddere. Demum si alter habeat opinionem probabilem de nullitate matrimonii, & simul habeat opinionem probabilem de ejus valore, licet potest petere, ac reddere; cum possit amplecti alterutram opinionem probabilem, quam mavult, etiamsi una sit probabilior, quam altera.

Neque dicas; Si probabile est, priorem uxorem objisse, atque adeo secundum matrimonium esse validum; & simul probabile sit, non objisse, atque adeo secundum matrimonium esse invalidum, possessio stat pro impedimento, & pro invaliditate matrimonii; ergo fallum est, quod possit in tali casu peti, aut reddi debitum. Nam negatur antecedens; cum enim probabile sit, impedimentum dirimens esse sublatum, hoc est priorem conjugem objisse, non potest dici, quod impedimentum possidat. Præterea dimicimus, possessionem favere solum dabi-

bitanti, non vero opinanti, seu habenti opinionem probabilem; ergo cum probabile sit, non adesse impedimentum, possessio non stat pro impedimento, atque adeo potest peti, ac reddi debitum. Verum tamen est, quod secundum matrimonium non poterat licite celebrari, si tantum probabile erat, & non moraliter certum, priorem conjugem obiisse; unde si mala fide contraxerunt, non poterunt petere debitum ob solam probabilitatem mortis prioris conjugis.

XII. Utrum autem cum opinione probabili, quod nullum detur impedimentum jure Ecclesiastico dirimens matrimonium possit illud contrahi?

In expositione prima Thes is ab Innoc. XI. proscripta fuisse ostendimus, id licere; non secus ac licet absolvere cum opinione probabili de jurisdictione, quin exponatur periculo frustrationis Sacramentum; quia in his casibus Ecclesia defectum supplet. Si tamen impedimentum dirimat iure divino, nequit matrimonium contrahi cum sola probabilitate, quod non detur hujusmodi impedimentum; eo quod exponetur Sacramentum periculo frustrationis; & ideo non licet contrahere secundum matrimonium cum sola probabilitate de morte alterius conjugis; quia impedimentum ligaminis dirimit matrimonium jure divino.

ARTICULUS IV.

Utrum delectationes morosæ, tactus turpes, & alia hujusmodi liceant conjugibus?

I. *Conjugem in absentia alterius conjugis delectari venere de copulacione periculum pollutionis, videtur esse dumtaxat veniale. In viduis tamen id est mortale, sicut & in Sponsis.*

- II. *Quid de tactibus, verbis turpibus, & aspectibus in honestis inter conjuges?*
- III. *Num Sponsis liceant oscula, & amplexus? & num citra mortale ordinari possint ad delectationem inde capiendam?*
- IV. *Tactus impudici inter conjuges cum periculo pollutionis quandonam excusentur a culpa gravi?*
- V. *Num sine lethali culpa possit conjugatus seipsum turpiter tangere precise ob delectationem?*
- VI. *Varia pene statuta sunt Adulteris.*
- VII. *Si conjugatus adulteretur cum alia conjugata, utriusque conjugium in confessione explicandum est.*
- VIII. *Probabilis delectatio morosa non fert specialem malitiam in confessione explicandam per hoc, quod sit in conjugatis.*
- IX. *Ut licite, & meritorie actus conjugalis exercentur, octo observanda sunt.*

I. **Q**uæritur primo; An liceat conjugibus delectatio morosa de copula?

Respondeo cum Sanch. lib. 9. disp. 44. secluso pollutionis periculo, non esse mortale delectari conjugem venerem de copula in absentia alterius conjugis, etiam sequatur commotio spirituum, &c.; sed esse tantum veniale; cum careat debito fine, ad quem talis delectatio a natura dirigitur. Ratio autem, cur non sit mortale, est, quia copula inter conjuges est licita; ergo etiam delectatio de tali copula; cum delectatio ordinetur natura sua ad actum, de quo est delectatio, neque possit esse illicita delectatio de actu hic, & nunc licto.

Dices: In vidua delectatio de copula præterita est illicita; sicut etiam Sponsis de copula futura, (ut dicimus quæsto tertio) ergo etiam in conjugi delectatio de copula, quando al-

Z 2 ter

ter conjux est absens. Et ratio a priori est, quia talis delectatio est inchoatio quædam pollutionis, quæ illicita est extra vas debitum.

Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est, quia Viduis est per se illicita copula, cum defecerit matrimonium; estque pariter Sponsis illicita ante matrimonium: Contra vero conjugibus in absentia est illicita tantum per accidens, seu potius est impossibilis, quam illicita; atque adeo quando non possunt uti copula, non videtur esse grave peccatum delectari de illa. Ad rationem a priori respondetur, delectationem venereum ordinari natura sua non ad pollutionem extra vas, sed ad copulam cum proprio conuge; quod autem in absentia conjugis non possit haberi copula, est per accidens.

II. Quæritur secundo; An secluso pollutionis periculo liceant conjugibus tactus, & aspectus inhonesti, ac verba turpia?

Respondeo, si tactus, & alia hujusmodi ordinentur ad copulam conjugalem, sunt liciti; quia licitum est j�are naturam ad actum rationi consonum mediis natura sua ordinatis ad illum: Si vero ordinentur ad maiorem voluptatem in eo actu captandam, videtur culpa venialis; tum quia voluptas nimia est rationi dissona; tum etiam, quia si copula ob solam delectationem exercita est culpa venialis juxta propositionem 9. ab Innoc. XI. proscriptam, tactus pariter ad talem delectationem ordinati sunt culpa venialis. Non sunt tamen culpa mortal is, ut docet Sanch. loc. cit.; quia voluptas illa non quæritur extra matrimonium, sed in actu sua natura ordinato ad usum matrimonii: Et quod dicitur de tactibus impudicis, dicitur etiam de aspectibus, & verbis turpibus inter conjuges.

Notandum tamen cum eodem

Sanch, quod si quando propter diuum de valore matrimonii, vel propter votum castitatis illicita est conjugi petitio debiti; illicita pariter erit delectatio de copula, tactus, aspectus, &c., quæ ad copulam ordinantur: Si vero aliquando illicita sit conjugibus copula propter impedimentum extrinsecum, (quod scilicet non tollit jus ad actus maritales, verbi gratia, propter notabile salutis, vel abortus periculum, vel ob præceptum Ecclesiæ prohibentis conjugi debiti petitionem, quando affinitatem cum altero conjugе inique contraxit) in tali casu non sunt illicita sub mortali delectatio morosa, tactus, &c. quia delectatio, & tactus illi non opponuntur impedimento extrinseco; sicut opponitur copula: Et quando Ecclesia prohibet copulam in penam delicti commissi, nempe in penam affinitatis inique contractæ, non est talis pena extendenda ad delectationes, tactus, &c., cum penæ sint semper restringenda. Idem dicitur, si quis tantum voveret non petere debitum.

III. Quæritur tertio; Num sponsis illiciti sint tactus, aspectus, verba turpia, delectationes morosæ eo pacto, quo prohibentur solutis, an vero cursivent a mortali, sicuti in conjugatis?

Respondeo, quæst. I. de Sponsal. art. 7. quæsit. ult. fuse me ostendisse, sponsis de futuro eodem modo, ac solutis esse illicitos non solum tactus impudicos, (de quo nemo dubitat) sed etiam tactus non impudicos, in quibus intendatur delectatio sensitiva, & carnalis, ut communius, & probabilius docent Doctores contra nonnullos apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 131.: Et idem dicas de aspectibus, & verbis turpibus. Si tamen oscula, & tactus non impudici non ordinentur ad delectationem carnalem, nec de-

tur periculum pollutionis, ac consensus in copulam, sed ordinentur ad fovernendum mutuum amorem, aut ad benevolentiam conciliandam, sponsis permittuntur; ut docet Sanch. lib. 9. disp. 46. num. 51.; Qui contra communiorum Doctorum cum Cajet., Navar., Ledesm., & aliis putat, probabile esse, quod citra mortale possint a sponsis oscula, & amplexus ordinari ad delectationem sensitivam, quæ ex ipsis oritur; Quod pariter docet Dian. loc. cit., & part. 2. tract. 17. resol. 6.

IV. Quaritur quarto; An tactus impudici, verba turpia, &c. inter conjugatos reddantur illicita ratione periculi pollutionis in altero conuge prævisi?

Respondeo, tactus hujusmodi non esse graviter illicitos, si fiant a conjugibus cum commotione spirituum, & distillatione, ut docet Sanch. disp. 45., & Tambur. lib. 7. cap. 3. §. 5. Ratio est, quia hoc non est grave damnum generationis in tali statu. Etsi tamen peccatum mortale non conjugatis, quibus non est licita copula, ad quam ea ordinantur natura sua. Si tamen ab uno conuge fiant cum periculo pollutionis in se, vel in altero, tunc excusantur a mortali, quando datur urgens causa exercendi hujusmodi tactus: Sicut enim excusantur a culpa amplexus inter fratrem, & sororem foris venientes ad indicandum amorem, & ne inurbani videantur, quamvis prævideatur periculum pollutionis; excusatur etiam Chirurgus tangens fœminam causa medicinæ adhibenda: ita excusantur conjuges, quando datur urgens causa eos tactus exercendi, videlicet, vel ad se præparandos ad copulam, vel ad indicandum, & fovernendum mutuum amorem inter ipsos; Videretur enim magna austeritas, & amor minueretur, si universim ab hujusmodi tactibus abstinerent. Si vero sunt præcise ob voluptatem captan-

dam, nullum est caput, unde a mortali excusentur, ut notat Tambur. loc. cit., quia in tali casu pollutio prævisa interpretative intenderetur.

V. Quaritur quinto; An conjugatus licite possit seipsum turpiter tangere, vel aspicere præcise propter voluptatem, secluso periculo pollutionis?

Respondeo, Sanch. lib. 9. disp. 44., Hurt., & alios apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 137. docere, id esse solum veniale in conjugatis: sicut in iisdem est solum venialis morosa delectatio de copula in absentia conjugis. Et ratio est, quia quicumque tactus voluptuosus in conjugatis ex se refertur ad copulam, quæ ipsis est jam licita. Alii tamen cum Joanne Sancio apud Dian. part. 9. tract. 8. resol. 31., & 44. putant, esse mortale; quia est intrinsece malum uti proprio corpore ad explendam libidinem. Tambur. vero lib. 7. cap. 3. §. 5. putat, utramque sententiam esse probabilem.

VI. Quaritur sexto; Quænam poena statuta sit conjugi adultero?

Respondeo, quintuplicem esse statutam; Prima est, ut dos, & quæ propter dotem donata sunt amittantur, non tamen paraphernalia. Secunda, ut amittat jus petendi debitum conjugale. Tertia, ut incurrit aliquando obligationem restitutionis. Quarta, mors a Judice infligenda ipsi adulteræ, non tamen adultero. Quinta, ut propter adulterium possit fieri divortium.

Circa primam poenam notandum, quod, ut vir acquirat dotem amissam ab adultera, requiratur sententia Judicis; Ante sententiam vero potest vir dotem sibi retinere, si possidet illam, (nisi tamen ipse etiam sit adulter) non tamen eripere. Circa secundam; requiritur etiam accusatio, & sententia Judicis, ut adulterer amittat jus petendi debitum; potest tamen conjux in-

innocens negare debitum adulterio; etenim frangenti fidem fides non debetur; quod si conjux innocens sciat adulterium alterius, & sine vi, vel metu etiam levi copulam illi reddat, aut petat, vel rideat, aut confabuletur cum illo, non potest amplius inde illum accusare, aut negare debitum. Ratio est, quia per illos actus cessat juri per adulterium acquisito, & injuria semel remissa non amplius reviviscit. Circa tertiam, quando certum est, filium aliquem natum esse ex adulterio, tenetur adulter, & adultera tam ad alimenta, quam ad compensandum damnum, quod forte aliis subnascitur, ut late explicat Tambur. loc. cit.

VII. Notandum præterea, quod in confessione conjugatus peccans cum altera conjugata debeat utriusque conjugium explicare; tum quia peccat contra jus sui conjugis, & contra jus conjugis alterius; tum etiam, quia diversum est peccatum, quod committit patrando adulterium contra propriam conjugem, a peccato, quod committit cooperando cum altera conjugata, ut illa contra jus sui conjugis peccet. Præterea Sodomia est adulterium in conjugatis; sicut etiam mollesies, & bestialitas; atque adeo in confessione explicandum est, quando a conjugato peccata hæc committuntur, cum fiat in iis injuria alteri conjugi: Et idem dicas de osculis, & tactibus impudicis, ut videre est apud Sanch. disp. 18.

VIII. Circa delectationes morosæ dubium est, an debeat explicari in confessione, ut trahentes malitiam adulterii, quando habentur a conjugatis? Affirmat Valsq., quia scilicet conjugatus fidem matrimonii obligat de non collocando non solum corpus, sed etiam mentem in aliud objectum turpe; atque adeo peccatum hoc non solum est contra castitatem, sed pa-

riter est adulterium; cum sit contra fidem matrimonii. Verum Hurt. cum Tambur. lib. 10. cap. 3. id negat; quia sine ullo fundamento dicitur, quod fides matrimonii exigat non collocare mentem in aliena.

Notandum denum, quod qui Sodomianum cum propria conjugate commisit, non possit in confessione dicere: Ego conjugatus commisi sodomiam cum conjugata, sed debeat dicere, quod commiserit illam cum propria conjugate: Quamvis probabile sit, peccatum complicis posse celari, quando illi infamia inureretur apud Confessarium. Ubi Filliuc. advertit, quod confessarius prudens esse debeat in his circumstantiis exquirendis, ne se, vel poenitentem excitet ad aliquam tentationem: Et Con. docet, præstare aliquando, Sacerdotem minus perficie peccatum poenitentis cognoscere, quam vel sibi, vel illi aliquod scandalum creare, & esse nimium. Et Angelus hoc addit: Confitetur mulier, quod fuerit, verbi gratia, cognita extra vas debitum, non querat postea Confessarius, in quo loco, vel quomodo, & hujusmodi; sicut faciunt quidam, qui potius sunt contaminatores, quam Confessores.

IX. Quæritur ultimo; quid servandum in usu matrimonii a conjugibus?

Respondeo, ut actus matrimonialis sit licitus, & meritorius, servanda sunt a conjugibus, quæ duobus illis versibus continentur.

Sit modus, & finis, sine damage solvere, cohære;

Sit locus, & tempus, Tactus, & spernitο votum.

Primo enim peccatur contra Modum, quando non servatur situs, aut modus congregandi, aut debitum vas. Secundo, Finis debet esse honestus; verbi gratia, procreatio filiorum, fuga incontinentie, &c., ut dicitur.

ximus art. 1. Tertio , circa particulam , *Sine danno* , diximus posse negari debitum , quando est periculum gravis morbi , & damni ; Est etiam quedam in honestas , & turpitudo , & peccatum veniale accedere ad uxorem tempore menstrui ; Est vero mortale accedere ad illam gravidam cum periculo abortus ; secus vero si tale periculum absit . Quarto , per particulam , *Solve* , designatur obligatio reddendi debitum , juxta dicta art. 2. Quinto , per particulam , *Cohere* , significatur obligatio cohabitandi , secluso gravi danno animæ , vel corporis : Si tamen alter conjugum timeat sibi a cohabitando infectionem lepræ , verbi gratia , aut alterius morbi contagiosi ,

quamvis non teneatur cohabitare , tenetur tamen non ita longe ab altero recedere , ut non possit cætera obsequia exhibere ; non enim eximitur ab aliis obsequiis præstandis , ut notant Reginald. lib. 31. , & Sanch. Sexto , per particulam , *Sit locus* , & *tempus* , significatur in quibusdam locis , & non nullis temporibus abstinentium ab usu conjugali , juxta dicta art. 1. Septimo , per particulam , *Tactus* , significatur tactus esse permisso conjugibus , prout explicavimus art. 4. Demum , per particulam , *Ne spernitto votum* , denotatur , astrictum voto castitatis non posse debitum petere , juxta ea , quæ diximus art. 3.

Q U A E S T I O N E VIII.

De Divortio.

Divortium est solutio matrimonii , non quidem quoad vinculum , (quod ut diximus quæst. 3. art. 3. est indissoluble) sed quoad torum , sive etiam cohabitationem : posunt enim aliquando conjuges , manente vinculo matrimoniali , a se mutuo divertere , & inde dicitur divortium . XXXI

Duplex autem datur causa divortii ; Altera ex mutuo consensu citra alterius culpam , verbi gratia , per ingressum in Religionem ; Altera ob culpam alterius conjugis , præsertim ob adulterium . De Divortio in utroque casu hic agendum ; Inquirentes deum alias causas , propter quas fieri potest divortium ad tempus , videlicet quousque cause illæ perseverent .

ARTICULUS I.

De Divortio ex mutuo consensu .

- I. *Quadrupliciter possunt conjuges ex mutuo consensu facere divortium .*
- II. *Si maritus de consensu uxoris Sacris initieret , hac , si sit juvenis , debet ingredi Religionem .*
- III. *Num uxor senex possit cum marito Sacerdote cohabitare ?*

I. **Q**uæritur , Quot modis possint conjuges divortium facere ex mutuo consensu ?

Respondeo , posse quadrupliciter . Primo , si sine ullo voto separantur toro . Secundo , si separantur , ita ut uterque voveat castitatem . Tertio , ut vir Sacros Ordines suscipiat , uxore ingrediente in Religionem , aut manente in sæculo . Quarto , ut unus solus , aut etiam uterque Religionem ingrediantur . Et sane certum est , posse conjuges , ut melius Deo inserviant , aut

aut ob alium finem honestum ex mutuo consensu separari toro, vel ad tempus, vel in perpetuum; quia non tenentur uti matrimonio; nisi forte iis periculum esset incontinentia, quod alter superare facile non possit. Certum est secundo, posse utrumque conjugem ex mutuo consensu vovere castitatem, etiamsi Religionem non ingrediantur; quamvis id non sit facile consulendum propter periculum incontinentiae, quod ex mutua coabitatio ne facile incurreretur. Certum est tertio ex cap. Si quis, 4. de Conversione Conjugatorum, maritum etiam ex uxoris consensu non posse Religionem ingredi, nisi ipsa similiter Religionem ingrediatur, aut nisi sit senex nullo pacto suspecta de incontinentia, & in sæculo manens Votum castitatis emitat, & quidem castitatis perpetuæ, non vero quousque maritus est superstes.

II. Utrum autem nec possit maritus de uxoris consensu sacris initiari, nisi ipsa aut Religionem ingrediatur, aut senex sit non suspecta de incontinentia, & in sæculo manens voveat perpetuam castitatem? Dubium est inter Doctores. Aliqui putant cum Angelo apud Perez disp. 27. sect. 9. posse maritum de consensu uxoris Sacris initiari, dummodo uxor in sæculo manens voveat castitatem, etiamsi uxor sit juvenis. Ratio est, quia ideo, si vir Religionem ingreditur, debet pariter ingredi Religionem uxor juvenis, quia Religiosus non potest illius curam habere, illamque corrigere, si forte peccet: Contra vero Sacerdos sæcularis potest hoc facere; ergo, ut vir fiat Sacerdos de consensu conjugis, non videtur necesse, quod illa Religionem ingrediatur, sed satis est, si voveat castitatem.

Communis tamen sententia cum Sanch. lib. 7. disp. 39., Con., Perez, & aliis docet, uxorem juvenem de-

bere ingredi Religionem, tam si vir ex ejus consensu Religionem ingreditur, quam si Sacris initietur. Ratio est, quia uxor juvenis in sæculo manens exposita est periculo incontinentiae; & tantum abest, ut a marito Sacerdote possit corrigi, ut potius facile sit ipsi Sacerdoti familiariter illa uenti, & ejus curam agenti esse occasionem peccandi.

Dices: Potest uterque conjux vovere castitatem, & manere in sæculo; ergo poterit pariter alter initiari Sacris, altera vovente castitatem in sæculo.

Respondeo, concessio antecedente, negari consequentiam. Disparitas est; quia in primo casu si esset periculum incontinentiae, esset facile remedium, petendo scilicet dispensationem a tali voto; non tamen in secundo casu.

III. Notandum tamen, quod si uxor sit senex, & extra omnem omnino suspicionem, poterit cum marito Sacerdote, seculo toro, coabitare: Sed consilium est a tali coabitatione abstinere, tum propter exemplum, tum propter qualemcumque periculum, etiam levioris incendii, seu libidinis.

ARTICULUS II.

De Divortio ob causam Adulterii.

- I. Sufficiens causa ad divertendum ob Adulterium.
- II. Sodomia, & brutalitas probabilitate non præbent causam sufficiemtiam ad faciendum divortium.
- III. In foro conscientia qui certus est de conjugis adulterio, potest auctoritate propria facere divortium.
- IV. Quid requiritur ad habendam certitudinem moralem, quod conjux adulteratus sit?
- V. Tunc solum conjux innocens sententia divortium facere, quando non est alia via corrigendi alterum, qui in adulterio perficit.

VI. In

- VI. In multis tamen casibus adulterum dimitti non potest; Et probabilius vir nequit conjugem adulteram dimittere, si per metum gravem fuerit cognita.
- VII. Si uterque conjux fuerit adulter, delicta compensantur. At si alter tantum sit emendatus, poterit hic divortium petere, altero post monitionem persistente.
- VIII. Iudex potest post emendationem conjuges per divortium separatos iterum conjungere.
- IX. Coniugis innocens habet ius cogendi reum, ut ad se redeat.
- X. Potest innocens tribuere ius petendi debitum alteri conjugi adultero, non tamen incestuoſo.
- XI. Coniugis innocens post sententiam divortii potest Sacros Ordines suscipere, aut Religionem ingredi altero invito; non tamen adulterio.
- XII. Si alter coniugis sive innocens, sive adulter consentiente altero Religionem ingrediatur, qui manet in seculo, non tenetur emittere votum castitatis.

I. Certeum est, Adulterium unius conjugis dare alteri ius faciendi divortium, ex cap. *Gaudemus*, & ex *Matth.* 5. ubi dicitur: *Qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam machari.* Et ratio est, quia frangenti fidem fides non est servanda, ex *lege* *Sic cum venerit ff. pro Socio*: Per adulterium autem frangitur fides data in matrimonio non dividendi carnem; nam conjuges, ut habetur *Genes.* 2., sunt duo in carne una, videlicet per copulam carnalem cum seminatione in vase debito.

II. Hinc sequitur, solum desiderium forniciandi, & alios actus impudicos, per quos caro non dividitur, non dare sufficientem causam in divortio; scilicet nec est causa divortii mollities.

Pars VII.

alterius, aut concubitus cum foemina mortua, aut cum statua, &c., quia caro proprie non dividitur: Contra vero censetur causa sufficiens divortii Bestialitas, & Sodomia cum altera persona, quia per talem copulam caro perfecte dividitur. Ita probabilius Sanch. lib. 10. disp. 4., & Bonac.; quamvis Pont., & Perez disp. 56. sect. 2. id negent putantes, per brutalitatem, & sodomitiam non dividi carnem, cum non possit inde una caro procreari, atque adeo non dari jus divortii.

III. Quæritur nunc primo; Utrum coniugis innocens possit propria auctoritate facere divortium ob adulterium sive publicum, sive occultum alterius?

Respondeo, posse; secluso tamen scandalo, ex cap. *Dixit Dominus*, 32. quest. 1. Ratio est, quia jure naturæ nemo tenetur servare fidem frangenti illam. Verum in foro externo coniugis innocens cogendus est ad conjugem redire, donec constet de adulterio; Quamvis non teneatur reddere debitum, etiamsi per excommunicationem, aut præceptum Judicis ad id cogatur, si in foro conscientiae certus fit de illius adulterio, Ratio est, quia præceptum Superioris non obligat in conscientia, quando procedit ex falsa præsumptione. Ita Sanch. disp. 12., Reginal., Bonac., Sotus, & alii.

IV. Dubium tamen est; Quænam notitia adulterii requiratur, ut possit fieri divortium?

Respondeo, requiri certitudinem moralis; nam possessio stat pro reo, & nemo in dubio, & per solam probabilitatem in contrarium privandus est sua possessione: Habetur autem certitudo moralis, quando, verbi gratia, aliquis fide dignissimus, cui merito prudentissimus fidem haberet, testaretur adulterium, vel saltem ejus vehementem suspicionem; ut si vidif-

A a set

set solum cum sola in lecto , ex cap. *Litteris, de presumptione* ; non tamen sufficiunt verba amatoria , aut xenia missa uxori ab adultero : Immo nec oscula , & amplexus , nisi adfint aliæ circumstantiæ loci , temporis , vel personarum .

Notandum tamen cum communī contra Navar. , quod adulter etiam publicus possit petere debitum a conjugē innocentē ignorante suū adulterium ; quia nemo tenetur hanc pœnam subire ante sententiam Judicis , vel alterius conjugis . Immo post hanc sententiam potest amicabiliter debitum petere , ut reconciliet sibi conjugem innocentem , & amissum jus acquirat .

V. Quæritur secundo ; An teneatur conjux innocens facere divortium ab altero adultero ?

Respondeo , regulariter non teneri ; cum possit quilibet injuriam sibi irrogatam condonare . Si tamen ille in adulterio perfistat , multi docent , teneri cum deserere , ne videatur particeps illius criminis . Communius tamen id negant ; nam crimen vel est occultum , & nullum datur scandalum ; vel est publicum , & satis est , si publice conetur conjux innocens corriger adulterum , proponendo illi pœnas inferni , & prout potest puniendo illum . Quod si putet hac sola via adulterum corrigendum esse , videlicet per divortium , in tali casu per accidens tenetur ex charitate ad tempus divertere .

VI. Quæritur tertio ; In quibusnam casibus adulter non potest dimitti ?

Respondeo , pluribus in casibus . Primo , quando uterque conjux commisit adulterium , ex cap. final. de adulteris ; quia paria delicta mutua compensatione abolentur . Secundo , si vir det causam proximam adulterandi uxori ; ut si tacite , vel expreſſe dedecrit illi facultatem ; vel si noluit prohibere , cum commode posset : Secus

vero si dedit causam remotam ; vibi gratia , quia iratus illam domo expulit , aut necessaria alimenta , vel debitum denegavit . Tertio , si adulterium sine culpa commisum fuit ; ut si uxor bona fide crediderit aut adulterum esse proprium virum , aut proprium virum esse mortuum , & idcirco secundas nuptias contraxerit . Quarto , si uxor per vim cognitam . Quod si non per vim , sed per metum gravem fuit cognita , lis est inter Doctores , an possit vir facere divortium ? Probabilius existimo , quod non possit ; ut docent Henr. , & Bonac. contra Sanch. , & alios . Ratio est , quia metus gravis excusat a lege Ecclesiastica , & ab incurrenda censura , aut alia pœna canonica ; ergo uxor , quæ per metum gravem adulterari , videtur quod non debeat pati pœnam hanc , quod scilicet possit vir ab ea divertere . Quinto demum , non potest conjux innocens facere divortium , quando condonavit alteri adulterium vel expreſſe , vel etiam tacite , ut si sciens illum commisisse adulterium , aut petat ab eo , aut illi reddat debitum .

VII. Dubium est primo ; An quando uterque conjux commisit adulterium , & alter tantum est emendatus , possit hic petere divortium ab altero non emendato ?

Respondeo affirmative ; quando scilicet emendatus admonuit alterum , ut cessaret ab adulterando , & tamen de novo relabitur ; Nam sicuti si ambo adulterium commiserunt , & deinde reconciliati sunt , uno relabente , potest alter facere divortium ex communī Doctorum sententia : ita in calu nostro : Nam quando emendatus monet alterum , jam offert illi reconciliationem ; ergo si hic non respicit , potest ille divortium petere , ut docent Sanch. lib. 10. disp. 7. , Conink. Reginald. , Bonac.

VIII. Dubium est secundo; Utrum adulter factio divortio possit ad se revocare alterum, qui post divortium lapsus est in adulterium?

Respondeo cum Bonac. contra Con., non posse; quia sententia divortii non fertur sub conditione, quod alter non adulteret, sed fertur absolute in odium delinquentis. Potest tamen Judex sua auctoritate illos reconciliare: Nam sententia divortii non abstat Superiori jus, ne possit separatos quoad torum, & habitationem iterum conjungere ad vitanda pericula incontinentiae. Immo tenetur Superior hoc facere, quando adest scandalum, & manifestum periculum incontinentiae.

IX. Quæritur quarto; An possit coniugix innocens facto divortio cogere adulterum, ut ad se redeat?

Respondeo affirmative cum Sanch., Sà, & aliis. Ratio est, quia sententia divortii facta est in favorem innocentis, & in poenam adulteri, non vero in poenam innocentis. Quare si innocens non posset ad se revocare adulterum, jam divortium cederet in poenam ipsius innocentis.

X. Hinc patet disparitas; quare scilicet potest coniugix innocens tribuere alteri adultero jus petendi debitum, non tamen possit tale jus tribuere coniugi incestuoso, qui copulam habuit cum consanguineo, vel consanguinea conjugis innocentis in primo, velsecundo gradu. Ratio est, quia in primo casu adulter privatur jure petendi debitum in gratiam innocentis, unde si hic cedit juri suo, potest ille petere debitum: Contra tamen in secundo casu incestuosus privatur jure petendi debitum, non in gratiam innocentis, sed in poenam sceleris: Sicut enim non decet, affines matrimonio copulari; ita quando supervenit matrimonio affinitas propter incestum, non decet, quod in-

cestuosus petat debitum, quamvis possit reddere, & ad id teneatur, ne scilicet innocens poenam illam subeat ob crimen incestuosi.

XI. Quæritur ultimo; An post divortium possit Sacros Ordines suscipere, vel Religionem ingredi tam coniugix innocens, quam adulter?

Respondeo, posse quidem innocentem Sacros Ordines suscipere, aut Religionem ingredi, adulterio invito; dummodo adulterium sit publicum; Aliter si delictum non probaretur, deberet restituī coniugi ad scandalum vitandum: Contra vero adulter non potest, invito altero innocentem, Sacros Ordines suscipere, aut Religionem ingredi; quia innocens habet jus concedendi illi reconciliationem, & ad se illum repetendi. Potest tamen id facere, si habeat a coniuge innocentem licentiam sive expressam, sive etiam tacitam; ut si saepius petat ab illo reconciliationem, & hic nolit illam concedere, dicens, se nunquam illam concessurum. Unde fit, quod non possit postea coniugix innocens revocare ad se adulterum, qui ea de causa Sacros ordines suscepit, vel Religionem ingressus est, aut votum emisit. Ita Sanch. lib. 10. disp. 11., Bonac., & alii.

XII. Adde, quod si adulter de licentia conjugis innocentis Religionem ingrediatur, innocens manens in seculo non tenetur votum castitatis emittere. Ratio est, quia in cap. Significati, de Conversione conjugatorum id præcipitur, quando matrimonium manet illæsum, non vero quando factum est divortium; & ideo si coniugix innocens Religionem ingrediatur, nec tenetur adulter manens in seculo castitatem vovere.

ARTICULUS III.

De aliis causis faciendi divorcium ad tempus.

- I. Quænam sint causæ faciendi divorcium ad tempus?
- II. Hæresis alterius conjugis non dat causam faciendi divorcium perpetuum, (scilicet adulterium) sed solum ad tempus; Ni si tamen publice ille sit ab Ecclesia damnatus.
- III. Si maritus ad scelus nefandum pertrahat uxorem, & nolit corrigit, haec potest divertere.
- IV. Sicut etiam si uxor sepe, & atrociter a marito percutiatur.
- V. Uxor venefica, que consilio damnis nittitur, dimitti potest.
- VI. Votum castitatis a coniuge de alterius consensu evanescere dat causam divertendi, si remittatur obligatio reddendi debitum.
- VII. Post divorcium filii sequuntur coniugem innocentem.
- VIII. Cujus autem expensis alendi sint filii? Iis est inter Doctores, si culpa matris divorcium factum sit. Si autem culpa Patris id contigerit, ejus expensis apud matrem alendi sunt. Quod si ex mutuo consensu divorcium sit, proles triennio minor expensis matris educanda est, deinde expensis Patris.

I. Ræter adulterium, quod dat causam faciendi divorcium in perpetuum, dantur alia causæ faciendi divorcium ad tempus, hoc est quousque causa illæ perseverent.

Quæritur itaque; Quænam sint istæ alia causæ?

Respondeo, universim quoties unus non potest cum altero coniuge cohabitare sine gravi periculo animæ, aut corporis, quod merito virum constantem terreat, potest ad tempus ab

eo divertere, quoque periculum dut. Ratio est, quia non tenemur cum tanto incommodo hisce obligationibus satisfacere; Quod patet ex cap. Ex transmissa, & ex cap. Lazarus, de restitutione Spoliatorum.

Neque dicas, ob solam causam fornicationis a Christo Domino permitti divorcium. Nam in casu nolto divorcium ad tempus sit, non deferen- do uxorem, sed fugiendo proprium malum; quod non est contra Christi Domini præceptum.

Hinc prima causa divorcii est La- pus unius in hæresim, vel infidelitatem. Ratio est, quia hæresis est quadam fornicatio spiritualis, ex cap. Idolatria, de divorcii; quando tamen ille convertitur, debet cum innocentे conjungi, cum cesset causa diver- tendi; non enim hæresis est fornicatio proprie dicta, qua unice ex lege Christi Domini dat causam faciendi divorcium in perpetuum.

II. Excipe tamen, si coniux in hæresim lapsus judicio Ecclesiæ sit separatus, aut condemnatus; tunc enim coniux innocens etiam emendatum non tenetur recipere, ut notat Con- tum in pœnam hæresis; tum etiam quia ob perpetuam illius infamiam grave est, & quodammodo infame conjugi innocentì conjungi cum illo.

III. Secunda causa est, quando unus nititur alterum pertrahere ad peccatum; tunc enim si præmissa correptione adhuc ille persistat, potest hic secluso scandalo divertere: Immo- netur, si commode potest, quando probabiliter timet, quod sit conser- rans. Hinc si maritus vult uti uxore sodomitice, potest haec petere divorcium, ex cap. Omnes causationes 32. quæst. 7.; etenim a tali nefando scelere natura ipsa abhorret. Notat tamen Sanch. lib. 10. disp. 4. id esse verum, si sodomia sit consummata, & vir corrigi nolit.

IV. Tertia est saevities alterius coniugis, ob quam timet alter sibi mortem, aut graves plagas esse inferendas, non tamen si moderatam castigationem timeret. Hinc potest divertere conjux, si alter tentavit illum occidere, ut notat Sanch.; vel si maritus percutiat saepe, & atrociter uxorem.

Quarta, si alter fiat omnino furiosus, aut gravi, & contagioso morbo laboret; nam in his casibus alteri ex cohabitatione grave periculum imminet; fecus tamen si ille fieret solum stultus, aut contraheret gravem morbum non contagiosum; nam in tali casu cum possit sanus sine suo periculo illi coabitare, ejusque curam gerere, ad id tenetur.

V. Quinta, quando delictum unius potest esse alteri conjugi causa gravis damni; ut quando uxor est venefica, interficiens filios, aut si consilio dæmonis utatur.

VI. Sexta demum est votum castitatis communi consensu emissum; in quo casu possunt conjuges separari quoad torum, ne exponant se periculo violandi votum castitatis emissum; dummodo tamen remiserint sibi obligationem reddendi debitum: Immo possunt ambo Religionem ingredi; ut

notant Bonac., Henr., & alii.

VII. Rogabis demum; Quemnam conjugem sequantur filii post divorcium?

Respondeo, ex jure civili sequi debere partem innocentem, ut notant Sà, & Bonac. Ratio est, quia potior videtur conditio innocentis. Excipe tamen, nisi innocens sit infidelis; tunc enim in favorem fidei, ne proles in Infidelitate procreetur, tradenda est conjugi fideli, ex cap. final. de conversione Infidelium.

VIII. Majus dubium est, A quoniam sint alendi? Certum est, quod si divorcium fiat mutuo consensu, proles triennio minor educanda sit expensis matris; triennio vero major expensis Patris. Quod si ex Patris culpa divorcium contingat, soboles, etiamsi sit triennio minor, educanda est apud Matrem expensis Patris, ex leg. 3. Regia tit. 19. part. 4. Si demum ex Matris culpa divorcium factum est, magna lis est apud Doctores; qua in re consuli potest Sanch. lib. 10. disp. 20., Rodriq., Menoch. consil. 853., aliquie: Satis nobis sit, id innuisse ad complementum tractatus; cui dandus est (sed oh ubi Æternitatis!)

F I N I S.

A. M. D. G., & B. V.

Sine labe Conceptæ.

SYN-

SYNOPSISSES OMNES,

Quæ in singulis Articulis tractatus hujusce de Matrimonio habentur, hic colliguntur.

QUÆSTIO I. Pag. 3. num teneatur dispensationem petere, & stare promissis? iv. Num possit pecunie damnum compensare hujusmodi defractor, si sit notabiliter dignior? At quid, si ea fuerit corrupta, & non dispars conditionis? v. An possit fidele promittens negare coram iudice promissionem, quando non tenetur vi illius ad matrimonium.. vi. Si quis notabiliter dignior fidele matrimonium promittit Beret, sed cum juramento, num illam teneat ducere ratione juramenti? vii. Quid, si tale juramentum non confirmet, sed solum comitteret promissionem? viii. Et quid, si tam promissio sit facta, quam juramentum?

De Sponsalibus universim.

ARTICULUS I. ibid.

De Promissione Constitutiva Sponsalium.

i. Quid sint Sponsalia? ii. Quanam promissione constituantur? iii. Si promissio sit indeliberata, non obligat; sicut nec votum; Nec potest obligare sub levi promissio Sponsalium. iv. Nec obligat promissio isthac non acceptata. v. Debet pariter signo sensibili manifestari. Sed quando taciturnitas sufficit in re promittente? vi. Sponsalia neque sunt Sacramentum, neque Sacramentale. vii. Ad valorem Sponsalium satis est intentio deliberata virtualis, non vero habitualis. viii. Requiritur ad eorumdem valorem voluntas se obligandi ex iustitia ad Matrimonium ineundum, sed non voluntas illud exequendi.

ARTIC. II. 8

De Promissione facta Sponsalium.

i. Promissio facta non sufficit ad valorem sponsalium. Ea tamen in foro externo parit obligationem, non quidem naturalem, sed civilem. ii. Fidele promittens ad quid tenetur in foro conscientia? iii. Quid, si fidele promittens Virginem defloravit sub spe matrimonii? Quod si quis consanguineam defloravit vere promittendo absolute matrimonium,

ARTIC. III. 11

De Promissione mere interna nubendi facta sive homini, sive Deo per Votum.

i. Promissio matrimonii facta homini, si sit mere interna, non obligat. ii. In quo differat propositum a promissione mere interna? iii. Votum nubendi solus per accidens potest esse obligatorium.

iv. Quandonam obligat votum nubendi ad vitandum periculum incontinencia? v. Quid si quis voveat causa pietatis ducere Beret pauperem? Num in tali causa voveantur duo per modum plurium, an per modum unius? vi. Votum nubendi sine animo consummandi utrinque emissum, per se loquendo, est irritum. vii. Nequit utrinque emitte votum nubendi, præcise ad finem.

S,
hem recipiendi gratiam propriam Sa-
cramenti matrimonii sine animo con-
summandi.

ARTIC. IV. 15

De Verbis, & aliis signis, & modis,
quibus sponsalia contrahuntur.

I. Quanam signa externa spectent ad
valorem sponsalium? II. Quid si du-
bitetur, an signa externa exprimant
consensum in sponsalia, an in matrimo-
nium? Absolutumne, an conditionatum?
III. Quid si Tuis uni ex pluribus
sororibus indeterminate matrimonium
promittat, & promissio ab omnibus acce-
ptetur? IV. Quandonam taciturnitas sit
sufficiens signum constitutivum sponsa-
lium? V. Sex modis sponsalia valide
contrahuntur.

ARTIC. V. 18

Quinam possint Sponsalia con-
trahere?

I. Jure Canonico ad valorem sponsa-
lium requiritur saltem septennium. II.
Ultima dies temporis requisiti ad sponsa-
lia, ad Matrimonium, ad Testamen-
tum sufficit, si sit inculta; ad Professio-
nem vero debet esse completa. III. Spon-
salia invalida ex defectu aetatibus non ra-
tificantur sine notitia nullitatis. IV. Si
malitia suppleat etatem, probabiliter
valida sunt sponsalia ante septennium.
At quid pro foro externo? V. Num
possint Parentes, aut Tutores contrahere
sponsalia pro filiis, aut pupillis ante
septennium? VI. Habens vocum castita-
tis, si promisit fæmina matrimonium
sub conditione copula, ad quid tenetur
post copulam obtentam? VII. Num sint
valida sponsalia inter notabiliter inaequa-
les? VIII. Cur offerens premium excessi-
vum pro re, quam emit, non teneatur
solvere nisi premium justum; Nobilis

vero offerens prodige matrimonium ple-
bejo teneatur stare promissis?

ARTIC. VI. 22

De Obligatione, qua consurgit ex
Sponsalibus.

I. Sponsalia obligant ad abstinentiam a
Sacris Ordinibus, non tamen ab in-
gressu in Religionem. Qui tamen post
illa Sacros Ordines suscepit, teneatur
damnum reparare. II. Num possint
Sponsalia prese dicta contrahi cum
mutua obligatione sub levi? III. Num
vovens, aut jurans possit sub levi se ob-
ligare in quacumque materia? IV. Ju-
ramentum de patrando peccato levi
num sit culpa gravis? V. Num promissio
matrimonii gratuita ex sola fidelitate
obliget sub gravi? VI. In quo differat
obligatio ex iustitia ab obligatione gra-
vi ex fidelitate? VII. Num Sponsi
si fornicentur, aperire debeant in con-
fessione, quod Sponsalia contraxerint,
quatenus injuriam alteri sponso irrogar-
int? VIII. An possit in contractu Spon-
saliū apponi pena luenda a resilien-
te? IX. Sponsus jurans se soluturum
panam, si resiliat, num vi juramenti
ad illam tenetur, si iuste resiliat? X.
Num licet in Sponsalibus arrha ap-
ponantur? XI. Possine Sponsalibus addi-
pactum habitandi in aliquo determina-
to loco?

ARTIC. VII. 29

De Sponsaliū Effectibus.

I. Impedimentum publica honestatis ex
Sponsalibus ortum quid ferat? II. Non
oriatur nunc post Tridentinum ex Spon-
saliibus invalidis, neque ex incertis;
neque ex conditionatis. III. Qualiter
illud ex matrimonio rato oriatur? Et
an, si matrimonium sit invalidum ex
defectu consensus? IV. Si Sponsalia mu-

tuo diffensu dissolvantur, abhuc remane-
net hoc impedimentum. v. Matrimo-
nium clandestinum probabilius habet
vim Sponsalium post Tridentinum, &
ideo parit hoc impedimentum. vi. Spon-
sis permituntur tactus non impudici,
& oscula, dummodo ab sit periculum
consensus in delectationem venereum de
copula futura. vii. Tactus non impu-
dici, & oscula eodem modo sunt vetita
solntis, ac viduis. Solum permittuntur
Sponsis citra periculum consensus in de-
lectationem libidinosam, in signum mu-
tui amoris. Conjugibus non vetatur sub
gravi delectatio carnalis in absentia al-
terius conjugis citra periculum pollutionis.

QUÆSTIO II. 33

De Causis dissolventibus Sponsalia.

ARTICULUS I. 34

De Mutuo Consensu, & de Reclama-
tione dissolventibus
Sponsalia.

i. Sponsalia Puberum mutuo consensu
dissolvuntur, etiam si sint jurata intui-
ta pietatis. ii. Impuberum Sponsalia
dissolvuntur, si eorum alter, statim ac
ad pubertatem pervenerit, reclamet:
Et quidem pro foro externo intra tri-
duum, & coram Judice, aut testibus. iii.
Probabilius impuberes reclamare possunt,
cum ad pubertatem deveniunt, etiam si
Sponsalia iuramento confirmarint. iv.
Impubescentes tamen, qui iuramento
confirmarunt Sponsalia, censuris cogendi
sunt ad matrimonium contrahendum.
v. Quamvis Impubres possint deinde
reclamare, non per hoc sequitur, quod
inanis fuerit contractus, & iuramentum
ante pubertatem.

ARTIC. II. 36

De Crimine dissolvente Sponsalia.

i. Etiam Sponsi, neandum Sponsa forni-*catio dat jus ad resilendum a sponsali-*
bus. ii. Sponsus resilire potest, etiam si
sponsa turpiter se tangi permisit, aut
si deprehendatur ante sponsalia fornicata
fuisse. Quandonam sponsa similiter
resilire poterit? iii. Quid, si nergue
post sponsalia fornicationem commiserit?
iv. Si sponsus conscius fornications spon-
sa ad illam accedit, amittit jus ad resi-
lendum. v. Nec solum pro foro exier-
no, sed etiam pro interno.

ARTIC. III. 38

De Fuga, seu longa absentia Sponso-*rum, ac de Tempore Matrimo-*
nii elapso.

i. Potest Sponsa resilire a Sponsalib*si Sponsus discesserit, nec sit spes, quod*
brevi sit redditurus. ii. Jus civile obli-
gans Sponsam ad expectandum per biennium,
si Sponsus sit intra Provinciam,
& per triennium, si sit extra illam,
non obligat Christifideles. Et quare?
iii. Bisariam potest in Sponsalibus praesi-
gi terminus ad matrimonium contra-
hendum. Si ita præfigatur, ut post elapsum terminum cesserit obligatio, elapso,
poterunt statim Sponsalia dissolvi;
secus vero si obligatio non cesserit, dum-
modo mora non sit diurna. iv. Ut ta-
men possint Sponsalia dissolvi ratione
mora, debet moneri qui est in tali mora,
ut intra præfixum tempus matrimonium
contrahat sub intermissione re-
scindendi Sponsalia.

AR.

ARTIC. IV. 39

De Susceptione Ordinis Sacri, ac de
Voto Castitatis, aut Reli-
gionis.

I. Sponsalia dissolvuntur per Professionem Religiosam, ac per Vota simplicia in Religione approbata, puta in Societate Jesu. II. Invita parte, possunt Sponsi Religionem ingredi, & quidem etiam post matrimonium ratum; si tamen id fiat bona fide. III. Votum etiam castitatis dirimit Sponsalia subsequentia. Et susceptio Ordinis Sacri dirimit etiam Sponsalia precedentia. IV. Probabiliter dissolvi possunt Sponsalia, statim ac quis Novitiatum ingreditur. V. Qui juramento confirmavit Sponsalia, poterit Religionem ingredi, non celebrato prius matrimonio. VI. Nequit tamen Religionem ingredi, qui post Sponsalia obtinuit a Sponso copulam sub spe matrimonii. VII. Votum proficendi in Religione dirimit Sponsalia etiam precedentia. At votum ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordines Sacros, vel votum castitatis solum Sponsalia subsequentia dirimit. VIII. Quod si vota isthac emittantur post sponsalia, alter remanet liber; sed vovens probabiliter remanet ligatus a Sponsalibus.

ARTIC. V. 42

Quomodo matrimonium, vel Sponsalia subsequentia dirimant priora?

I. Sponsalia posteriora, cum sint irrita, non pariunt impedimentum publicae honestatis; Sed dant alteri Sponso jus ad resiliendum. II. Qui post Sponsalia cum Berta conirahit matrimonium cum Teresa, hac mortua, probabiliter tenetur illam ducere. III. Qui post priora Sponsalia cum Berta contraxit posteriora

Pars VII.

cum Teresa, a qua ignara priorum Sponsalium obtinuit etiam copulam, videtur teneri ducere Bertam, & dampnum Teresa alia via compensare. IV. Sed probabiliter tenetur ducere Terram, quae dampnum passa est, & sui corporis usum tradidit.

ARTIC. VI. 44

De Morbo, aut simili vitio dissolvente Sponsalia.

I. Causa sufficiens ad Sponsalia etiam jurata dissolvenda est notabilis morbus, aut deformitas, vel quid simile superveniens, aut si de novo deprehendatur. II. Quid si uteisque Sponsus in paupertatem incidat? III. Dissolvi possunt Sponsalia etiam jurata, si quid de novo accidat, quod si ab initio existiveret, Sponsalia impediret. IV. Hinc qui spe futuri matrimonii copulam extorquet a Berta, non tenetur illam ducere, superveniente notabili mutatione.

ARTIC. VII. 45

De Affinitate, seu Impedimento Juris superveniente; Ac de Voce publica, seu fama de Impedimento.

I. Sponsalia dissolvuntur per quodcumque impedimentum dirimens, quod superveniat. II. Qui culpa sua fuit causa talis impedimenti, puta affinitatis, tenetur ad matrimonium, si alter innocens obtingeat dispensationem. III. Immo qui fuit causa impedimenti tenetur ipse dispensationem petere; prorsertim si adverbit, quod culpa sua impedimentum contrahatur. IV. Fama certa de impedimento dirimente satis est ad Sponsalia dissolvenda, etiam jurata; non secus ac testimonium unius fide digni: Quod tamen non sufficit ad dissolendum matrimonium. V. Prater famam

B b re-

requiritur Persona gravis, non que deponat impedimentum, sed que denunciet famam. vi. Solus rumor (qui habetur per hoc, quod minor pars vicinia impedimentum acclameat) non satis est ad dissolvenda Sponsalia.

ARTIC. VIII. 47

Quænam ignorantia, & dolus dissolvant Sponsalia; Et quænam metus?

i. Causa, qua sufficiunt ad dissolvenda Sponsalia, si superveniant, satis sunt ad ea dissolvenda, si præcesserint, & invincibiliter fuerint ignoratae. ii. Alter discurrendum de dolo dante causam contrælui, ac de incidente in contractum. Alter etiam si ab altero ex contrahentibus adhibeat, ac si a terra persona. iii. Sponsalium contractus per dolum celebratus probabilius non est irritus, sed solum irritandus ad arbitrium decepti; ut proinde pariat impedimentum publica honestatis. iv. Ideo Votum ex errore emissum est irritum, quia est promissio gratuita; at sponsalia ferunt promissionem onerosam; & ideo non sunt irrita, sed irritanda, si per dolum celebrantur. v. Qui per dolum contraxit eo animo, ut licet dolum cognovisset, adhuc ea sponsalia contraxisset, nequit resilire. vi. Num contrahentes sponsalia teneantur occulta vicia aperire, quibus comprehensis, Sponsalia non celebrarentur? vii. Defectus, qui notabiliter nocent vita sociali conjugum, aperiendi sunt a sponsis; alii vero non sunt aperiendi, nisi de iis interrogentur contrahentes sponsalia. Nec licitum est positive dicto, vel factio simulare oppositum. viii. Metus levus non irritat sponsalia; sicut nec metus gravis iuste incusus; nec metus iuste incusus, sed non ad extorquenda sponsalia. ix. Probabilius sunt solum irritanda ad arbitrium metum passi, non vero irrita

sponsalia celebrata per metum iuste incusum ad ea extorquenda. x. Hinc, si sint jurata, datur obligatio contrahendi matrimonium ratione juramenti; nisi obtineatur dispensatio.

ARTIC. IX. 51

